RESURRECTIO CORPORUM HUMANORUM. PROBATA RATIONIBUS...

Martino Pellegrini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
40 H
27
ROMA

Digitized by Google

RESVRRECTIO CORPORVM HVMANORVM.

Probata Rationibus Naturalibus

A MARTINO PEREGRINO
Societatis IESV.

Oportet mortale hoc induere Immortalitatem . Corinth. 1. c. 15.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMAE,
Typis Iacobi Dragondelli. 1674.

SVPER. PERMISSV.

Digitized by Google

IOANNES

PAVLVS OLIVA

Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu.

CVm Opuſculum, quod inſcribitur Corporum humanorum reſurrectio, à P. Martino Peregrino noſtræ Societatis Sacerdore conſcriptum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Dat. Romæ 12. Ian. 1674.

Ioannes Paulus Oliua.

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſ. P. Magiſt. Sac. Pal. Apoſt.

I. de Ang. Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raimundus Capiſuccus Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA OPERIS.

Nihil, quod Fidei Catholicæ Romanæ, probiſque moribus aduerſetur, ſed potius doctrinam, quæ orthodoxam de carnis reſurrectione veritatem, & S. Scripturæ, & Patrum, & rationum naturalium pondere, non minus quàm obiectorum ſolutionibus maximè firmat, continet liber inſcriptus, Corporum humanorum Reſurrectio *Dogma Catholicum à P. Martino Peregrino Soc. Ieſu expoſitus, à me infraſcripto [illegible] Reuer. [illegible] Mag. Raim. Capiſ[illegible] S.A.P. Magiſtri lectus, & diligenter examinatus. Quocirca dignum cenſeo, vt typis mandetur. Romæ in Conuentu S. Marcelli die 13. Martij* 1674.

F. Georgius Soggia Seruita Collegij Henrici Regens, & Sac. Congr. Ind. Conſult. &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

DEI GENITRICI
MARIAE

Seruorum minimus Martinus Peregrinus Societatis IESV.

OMNIA de te glorioſa dicit, Angelorũ, hominumque Regina, qui te DEIPARAM dicit. Omnia vno dicit Verbo Deus Pater: idem tuæ omnia decora maternitatis vno

Digitized by Google

fermè verbo expreſſit, dum te Deiparam dixit, decreuitque, vt tu vera eius Mater eſſes in tempore, cuius ipſe verus eſt Genitor ab æternitate. Sed & Sanctus Spiritus, qui a Patre, Filioq; eius procedit infinitæ tuæ dignitatis mira præconia compendio deſcripſit,
Matt. c.1. quando Euangeliſtæ calamo te illam, de qua natus eſt IESVS, ſcripſit. Immenſi autē Patris immenſa conſubſtantialis imago ſe ſe totam tua intra viſcera concluſit,
Io:1. & infinitū Verbum bre-

uia-

uiatum in te factum caro
eſt, vt videret omnis ca- *Luc.*
ro ſalutare Dei, eamque 3.
ſuæ donaret participio
Diuinitatis. In te appa- *Tit.*
ruit humanitas Saluato- 1.
ris, qui reformabit Cor-
pus humilitatis noſtræ
configuratũ corpori cla-
ritatis ſuæ. Hinc tu eua-
ſiſti fons humanæ ſalu-
tis, & quodammodò bea-
tæ origo reſurrectionis;
per tuum nempè partum,
cœli aditu aperto, homi-
num corpora priùs æter-
næ morti damnata, quàm
nata ad vitam repullulãt
immortalem. Corporum

noſtrorum glorioſa re-
ſurrectio tui immaculati
fructus eſt vteri: tuus id
teſtatus eſt filius, cum di-
Io.c. 6. xit; *Qui manducat meam carnem* (quam de te ſuſcepit) *habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eũ in nouiſſimo die*. Ideò tibi, per quam ſpero beatam anaſtaſim, & cui me totum, & omnia debeo, hoc de carnis reſurrectione opus audeo reuerenter dicare tamquam officij ergo te mei, ac tui erga me beneficij teſſeram ſempiternam. Quòd agilitate ventos, quòd ſubti-

lita-

litate lucem , quòd clari-
tate Solẽ nihil vmquàm
paſſura moleſtiæ corpora
noſtra ſuperabunt, Virgi-
nei credimus eſſe fructus
ventris tui. Illa etiam ra-
tio me mouet, quod cum
ſis animarum noſtrarum
dulcis vita, ſpes tuta, &
delicioſus amor, corpo-
rum quoquè noſtrorum,
quæ concepta in te, na-
taque de te diuina carne
paſcũtur ad æternam fe-
licitatem, maternam ge-
ris ſolicitudinem, vt totus
homo perditus, & beatiſ-
ſima tua prole redẽptus,
qui adoptionis gratia Fi-

lius ſit Dei, Euchariſticæ Virgineæ carnis nutritione, veluti mutatus in IESVM, Filius quoq; ſemper ſit Deiparæ Virginis. Tu ergò, quæ homines, Angeloſq; omnes dignitate vincis, quæque patrocinio tuo Deum nobis benigniſſimũ reddis, benignè munuſculũ hoc ſuſcipe, nequè me, nequè quod minimum offero, a facie tua, quæ plena eſt gratiarum, proijcias, tuoſquè miſericordes oculos a me ne auertas in æternùm.

Digitized by Google

AD LECTOREM

Auctor.

CArnis futuram Reſurrectionem, atque adeò vitam totius hominis fore immortalem & Fides Magiſtra docet, & Natura fidei diſcipula, gratiæque ancilla rationibus probat. *Nihil libentiùs intelligimus, quàm quod iam fide credimus*, mellifluus Bernardus ait: *Ratio* enim, (vt Seraphicus etiam Bona-

de cō-ſid. l. 1

1. sēt. q. 2. et 3.

uen-

d.24. uentura inquit) *eſt in fi-*
q.5. *dei fomentum, quoad infir-*
mos , in oblectamentum , quoad perfectos , & miro modo anima delectatur in intelligendo, quod perfecta fide credit : & quia fides non propter rationem aſſentit , ſed eius amore , cui aſſentit, ratio non euacuat meritum , ſed auget ſolatium . Tu ergo, qui ex reuerẽtia diuinæ vocis carnis reſurrectionem ſuper omnia credis , vtere etiam lumine , quod natura miniſtrat ad ſciendum . Dux tibi ſit fides,

ratio

ratio comes, vt vtraque roborante, tuum corpus in diuinæ legis redigas ſeruitutem. *Prudentia* *Rom. c.8.* *carnis mors eſt*, ſapere ſecũdùm carnem inſipientia eſt, at eiuſdem carnis beatæ vitæ conſulere, ſapientia ſumma eſt, cui obtinendæ hoc de corporum reſurrectione opus elaboratum eſt. De animæ immortalitate plura hìc argumenta videbis, quam alia elucubratione, Deo adiuuante, rationibus a Naturæ lumine deductis fuſiùs probabimus.

Digitized by Google

mus. Interim hoc opere fruere, & ſi quid fructus indè percipies, Deo Patri luminum acceptum feras.

Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.
Corinth. 1. c. 15.

IN-

Digitized by Google

INDEX
Capitum

CAP. I.

Præmittuntur aliqua pro faciliore intelligentia quæſtionis.

CAP. II.

Argumento operis neceſſaria eſt notitia ſtatus naturæ, & legis naturalis.

CAP. III.

Corporum reſurrectionem ex Immortalitate Animæ naturaliter deduci & indubitabili auctoritate, & ex Patribus probatur.

Au-

Digitized by Google

CAP. IV.

Auctoritate S. Thomæ probatur, corporum reſurrectionem eſſe naturaliter debitam.

CAP. V.

Ab eiuſdem Doctoris Angelici doctrina probatur.

CAP. VI.

Dogma Catholicum de reſurrectione probatur rationibus naturalibus, & primo a Pœna ſenſibili.

CAP. VII.

A delectatione ſenſibili.

CAP. VIII.

Ab amore Primæ Cauſæ productiuo corporum, eorumq; fine, & à ſimili.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IX.

A Genio, morequè vniuerſali erga cadauera.

CAP. X.

A natura prudentis regiminis.

CAP. XI.

A potentia merendi gloriam Corporis.

CAP. XII.

A Virtute Miſericordiæ.

CAP. XIII.

A virtutibus Theologicis, & moralibus;

CAP. XIIII.

A fine naturali ſenſibilium, & ab excellentia naturæ humanæ.

CAP. XV.

A natura ſigni ſenſibilis.

Ab

Digitized by Google

CAP. XVI.

Ab incorruptibilitate corporum.

CAP. XVII.

A corruptibilitate corporis.

CAP. XVIII.

Ab inclinatione, & auerſatione appetitus ſenſitiui.

CAP. XIX.

Ab amore naturali ſocietatis cum corpore, & ab exigentia naturali vniuerſali.

CAP. XX.

Ab amore, & obligatione, & timore vitæ ſenſitiuæ.

CAP. XXI.

Soluitur obiectio ſumpta ab Axiomate Philoſophico.

CAP. XXII.

Ab axiomate Idem, &c. probatur

Digitized by Google

tur reſurrectio mortuorum.

CAP. XXIII.

A ratione Partis.

CAP. XXIIII.

Reproductio hominis eſt magis naturalis, quàm prima productio.

CAP. XXV.

A naturali inclinatione, a gratitudine, & prudentia.

CAP. XXVI.

Ab

Digitized by Google

Ab vnione ſubſtantiali inter Animam, & corpus.

CAP. XXVII.

Ab amore glorificatiuo, à gloria formali, & obiectiua.

CAP. XXVIII.

Ab obligatione Principum, & à natura Iuſtitiæ punitiuæ.

CAP. XXIX.

A deſiderio, & inclinatione Animæ rationalis.

Ab

Digitized by Google

CAP. XXX.

Ab amore Parentum, & alijs rationibus.

CAP. XXXI.

Ab obligationibus moralibus, & merito felicitatis.

CAP. XXXII.

An Angeli poſſint naturaliter reſuſcitare homines.

CAP XXXIII.

A congruentijs naturalibus probatur, hominem debere vi-

uere

Digitized by Google

uere in æternum.

CAP. XXXIV.

Homo ſua natura potius eſt immortalis, quam mortalis.

CAP. XXXV.

Mors non eſſet pœna, ſi homo non eſſet ſua natura factus ad Immortalitatem.

CAP. XXXVI.

De cauſa mortis corporalis hominum.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEMITTVNTVR ALIQVA

Pro faciliore quæſtionis intelligentia.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

CAP. I.

PRæmitto primò, quod Deus poteſt conſiderari tribus modis in ordine ad Creaturam liberam. Primò, vt Auctor naturæ,
1 ſecundò, vt auctor morum, Tertio, vt Dominus naturæ. Vt Auctor naturæ dat vnicuique enti creatò iuxta ſuas exigentias, V.G. igni vim calefactiuam, & calorem, ſoli lucem, & vim illuminatiuam, Angelo, & homini, intellectum, & voluntatem, ac libertatem &c. earumque potentiarum operationes, quæ proprietates, perfectiones, & operationes ijs naturis ſunt debitæ antè omne liberum decretum Primæ Cauſæ, & dicitur Deus procedere, vt Auctor naturæ, quandò aliquid operatur, vel cooperatur ex motiuo

Digitized by Google

aliquo, ſeu iure phyſico præexiſtente, & natura habente ex ſe exigentiam, & veluti meritum naturale talium proprietatum, & operationum.

Tunc autem procedit, vt Dominus naturæ, quando agit ſuprà, ſeu contrà exigentias, & ordinem prædictum, V.G. negando ſoli lucem, igni calorem, potentijs ſenſitiuis
2 diſpoſitis proximè ſuas ſenſationes, lapidi deſcenſum &c. Hæc Dei potentia ad ſic agendum dicitur Abſoluta, & extraordinaria, ac miraculoſa, nec alligata communi ordini, & exigentijs naturarum exiſtentium: Potentia autem naturalis dicitur ordinaria, & alligata rebus ipſis: ſic ſi combuſtibile applicetur igni, debetur naturaliter concurſus ad comburendum; Si negetur, Deus non procedet, vt naturæ Auctor, ſed vt eius Dominus.

Vt Auctor morum reſpicit Creaturas liberas, quas regit, & conſtringit præceptis, ac legibus tùm na-

Digitized by Google

naturalibus, tùm poſitiuis quas, & præmijs allicit ad honeſtas operationes, & pœnis deterret à prauis:
3 quod facere ſpectat naturaliter ad Deum, vt eſt Auctor morum. Sic Princeps creatus debet ſubditos liberos naturaliter regere, quod debitum ei imprimitur a Primo, & increato Principe, à quo eſt omnis, & obligatio, & poteſtas.

Præmitto ſecundò, ita eſſe enti morali debitas ſuas proprietates, & operationes, vt ſunt debitæ, & phyſicè, & metaphyſicè alijs Entibus. Vnde Creatura libera operans honeſtè, maximè cum magna moleſtia, habet ius, & meritum metaphyſicum laudis, approbationis, & complacentiæ apud Auctorem
4 morum, & fontem honeſtatis, & alicuius prẹmij, quæ exigentia, & meritum eſt re ipſa ipſamet operatio honeſta, præſertim heroica, ſicut ius phyſicum, & exigentia caloris, & calefactionis eſt realiter ipſamet natura ignis. Vndè valdè mirandum eſt, quin, & manifeſtè

abſurdum, quod aliqui rationes petitas à natura, & proprietatibus, ac operationibus moralibus Creaturæ liberæ deſpiciante, ac ſi eſſent futiles, aeræ, extra chorum rerum phyſicarum, nec poſſent probare phyſicè, ac metaphyſicè, cum tamen ſint maximè phyſicæ, nam eſſe morale non eſt quid à natura diuerſum, ſed ſolum ſupra alias naturas Creatas inuoluit rationem liberi, & regulabilis per leges, & præcepta, ad quam moralem naturam omnìa alia producta, & moralitatis incapacia referuntur, vt ad finem cui.

Præmitto Tertiò. Hìc ſupponi, animam rationalem non mori cum corpore, ſed eſſe immortalem.
5 Hanc veritatem, quæ eſt dogma fidei primarium, probo alio opere ſatis amplo, pluribus rationibus certis, & euidentibus, vel manifeſtis congruentijs naturalibus, quæ an phyſicè demonſtrent, ſeu argumentis phyſicè concludentibus; Iudex eſto lector doctus.

Præ-

. Præmitto quartò, Hic ſupponi, vt certum, totam molem corporum cæleſtium, & Elementorum forè æternam, nec eſſe naturaliter corruptibilem, eſto à Deo, vt Domino naturæ poſſint omnia momento deſtrui; Probatur, quia Deus, vt naturæ Auctor ſe ſe accomodat rerum naturis, ac propietatibus, & exigentijs. At impoſſibile eſt, vt tota entium Creatorum tùm ſpiritualium, tùm corporeorum multitudo,
6 ſimul ſumpta poſt horam. V. G. exigat, vel debeat naturaliter deſtrui, quippe eadē eſt in principio horæ, & in fine, & eadem eſt virtus omnia ſuſtentantis Dei: quod dico de hora, dic de Sæculo, & Sæculorum Sæculis. Nullum ens permanens exigit ſua natura deſtrui, ſed tantùm poteſt corrumpi, quando alicuius agentis potentioris exiſtentia pugnat ex ſuo naturali genio cum exiſtentia alterius. Et quod aliqua ſint entia permanentia, eſtò duratio fluat, eſt euidentiſſimum: quidquid mihi contra dicatur, ſum certiſſi-

mus phyſicè, me eumdem eſſe, qui ante horam fui, qui heri, qui toto vitæ curriculo, & in hoc iudicio euidentiſſimo phyſicè ſum imperturbabilis.

Præmitto quintò, hìc ſupponi, omnes Creaturarum perfectiones, proprietates, motus, & imperfectiones eſſe certiſſima ſigna puræ perfectionis in puro, ac primo ente, & cauſa omnium prima: Nam ad hoc vnum omnia ſunt condita, vt glorificent primam, adæquatam, omnium Cauſam in creatura libera; Et eſt non ſolum fidei, ſed & naturæ axioma illud *Rom. c.* 1. *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas*, quare valet ſemper argumentum à perfectione Creaturæ ad puram perfectionem Creatoris, vt & ab imperfectione, ſeu defectu ad formam, bonitatemquè oppoſitam puram in Primo Ente.

Præmitto Sextò, non eſſe hìc mihi propoſitum conuincere phyſicè hiſce

hiſce meis meditamentis quemcum
que intellectum, licet ego putem
rationes, quas adduco, ſaltem ſi-
8 mul ſumptas, ſolui non poſſe, ſi non
valeant, vt phyſicè euidentes, va-
leant, vt moraliter conuincentes
mentem bene attendentem: valeant,
vt congruentiæ naturales tranquil-
lantes animum, adiuuantes fidem,
eique ancillantes ſuo robore. Aceri-
mus eſt ad omnem virtutem mora-
lem, & fugam blandientium vi-
tiorum, ſtimulus, fides diuina, cum
fixo Iudicio, diligentique medita-
tione Corporum reſurrectionis, &
Immortalis vitæ futuræ. Sequor
exempla SS. Thomæ Angelici, Bo-
nauenturæ Seraphici doctorum, Pa-
trumque, & aliorum Theologorum
grauium, qui fidei veritates pro
viribus nituntur probare, & illuſtra-
re naturalium lumine rationum: Et
hoc valdè, conducit ad ſalutem
æternam Animarum, quam procu-
rare, & promouere eſt diuinorum
diuiniſſimum, & vnus debet ſco-
pus meorum eſſe laborum. Aduerto

hìc obiter, me non agere de Deo, vt Auctore gratiæ, & ordinis ſupernaturalis, in quo Creatura libera conſtituta poteſt, & debet tendere ad vitam æternam ſitam in clara Dei viſione, & fruitione per media ad eam ducentia, & virtutes eiuſdem ordinis, vt ſunt fides, ſpes, caritas, & aliæ fundatæ in fide ſupernaturali quia hìc agitur per ſe tantùm de rationibus naturalibus, & auctore naturæ.

Præmitto vltimò, lectori cauendum, ne inter legendum per fallaciam faciat tranſitum ab eo, quod
9 debet facere Deus, vt naturæ auctor, ad id, quod, poteſt facere, vt naturæ Dominus: depræhendi enim inter diſputandum, alios etiam doctos hac fallacia ſubindè laborare. Si enim attendatur ſolùm Deus, vt naturæ auctor, & tutor, facilè, niſi planè ego alluciner, grauiſſimam, & nobiliſſimam hanc Veritatem euidenter attinget; his præmiſſis ad probationem, primò auctoritate, tū rationibus rem conficiemus.

Argu-

Argumento operis neceſſaria eſt notitia ſtatus naturæ, & legis naturalis.

CAP. II.

QVià iuxta operis titulum ad probandum hoc dogma catholicum rationibus, congruentijſque naturalibus fidem obligaui, abſtinendum mihi fuit ab argumentis Theologicis à fidei lumine deductis, vt fideliter præſtarem in operis corpore, quod in fronte promiſi: Et ad vitandas in hoc argumento æquiuocationes, vel neceſſarium, vel conſentandum rationi arbitror
1 eſſe de puræ ſtatu naturę aliquid pręmittere.

Quæritur ergò primò, An homo potuerit à Deo condi in ſtatu puræ naturæ?

Reſpondent. 1. ſtatum puræ naturæ eſſe impoſſibilem Caluinus. l. 1. Inſtit. c. 15. num. 1. & l. 2. c. 1. nu. 5. Lutherus in cap. 3. Gen. Ianſenius l. 1. c. 1. Michael Baius, qui-

bus adhærent alij ſectarij, vt tradit in Antianſenio Antonius Moraynes diſp. 13. de ſtatu puræ naturæ. At damnata eſt ea doctrina a B. Pio V. a Gregorio XIII. atq; ab Vrbano VIII. & de hoc videri etiam poteſt Annatus in Auguſtino vendicato a Baianis l. 1. c. 1.

Reſpondetur ergo 2. cum doctoribus Catholicis affirmatiuè, de quo videtur cum S. Thoma Suarez de Gratia prima par. proleg. 4. à c. 1. Ratio eſt euidens, quia eleuatio Creaturæ liberæ ad ordinem diuinæ gratiæ, & adoptionis ex ipſis terminis eſt merè gratioſa, & purus Dei fauor; ergo potuit ſine ea creari.

Si autem homines, & Angeli fuiſ-
2 ſent in puris naturalibus conditi, & potuiſſent, & debuiſſent, Deum amare ſuper omnia, vt docet S. Thomas. 1. q. 60. 5. & 1. 2. q. 109. 3. & alibi ſæpè loca citata vide in Tab. aur. verbo Amor. num. 40. Et poſſe amari Deum ſuper omnia ex cognitione naturali, vt Auctorem naturæ,

eſt

eſt communis, & vera Theologorum ſententia, vt docet Suarez de Gratia prima par. l. 1. c. 31. num. 5. pag. 368. cum S. Thoma, omnibuſq; Thomiſtis, & cum S. Bonauentura, & Scoto, & hunc amorem defendit ab impugnatione Baij B. Pius V. vt ibidem notat Suarez.

Immò & in hac natura lapſa poſ-
3 ſe hominem diligere Deum, vt Auctorem naturæ ſuper omnia ſolis liberi arbitrij viribus ſentiunt apud Suarez cit. l. 1. c. 32. à pag. 373. Card. Caietanus, Sotus, Canus, alijq; Thomiſtæ, Scotus, Gabriel, Henricus, Aliacenſus, Almaynus, Durandus, Antiſiodorenſis, quibus adde Granado de Gratia: controu. 3. tract. 1. diſp. 3. ſec. 3. Arriagam d. 39. num. 15. Ouiedo controu. 3. 1. 2. n. 142. Comptonum diſp. 114. ſec. 4. & probabilem dicit Suarez hanc ſententiam l. 2. de prædeſt. c. 10. num. 12. & lib. 1. de gratia c. 34. num. 32. Qui tamen omnes, Gratiam dicunt eſſe neceſſariam ad diligendum Deum ſuper omnia,

Digitized by Google

ſicut oportet, iuxtà Arauſicani, & Tridentini Concilij catholicam doctrinam ſſ. 6. can. 6. Ergò multò magis in ſtatu puræ naturæ potuiſſent eſſe, & fuiſſent dilectio Dei, religio, cultuſq; & aliæ virtutes morales conducentes ad vltimum finem naturalem.

Confirmatur hoc, quia eſt indubitatum apud omnes, vt tradit Suarez cit. c. 31. num. 8. præcepta decalo-
4 gi continere legem merè naturalem etiam per comparationem ad puram naturam rationalem; & præceptum diligendi Deum ſuper omnia eſſe fundamentum omnium præceptorum decalogi, & maxime neceſſarium ad inſtituendam vitam moralem honeſtam, atq; adeò præceptum diligendi Deum ſuper omnia eſt naturale eiuſdem ordinis: duplex enim finis eſt cum S. Thoma admittendus, ſcil. naturalis & ſupernaturalis.

Quæritur 2. quomodo in ſtatu puræ naturæ potuiſſet homo ſeruare legem naturalem?

Digitized by Google

Reſpondetur de hoc videri poſſe
5 Antonium Moraynem in Antianſenio diſp. 13.ſeſs.5. n. 30. pag. 198. col. 2. & d. 14. ſect. 1. num. 8. pag. 226, vbi docet, quomodò regeretur à diuina prouidentia ſtatus puræ naturæ, & quommodò moraliter poſſet vitare peccata, item Suarez de Gra. l. 1. c. 36. num. 9. vbi ait, ad ſapientiam, & prouidentiam optimi Gubernatoris pertinere, non omnibus eodem modo, ſed ſingulis iuxta cuiuſq; conditionem prouidere: Vnde & Philoſophi cognouerunt, Deum perfectiore modo habere curam hominum, quàm brutorum, & inter homines peculiari beneuolentia proſequi colentes, ſe, & rectè, honeſteque viuentes.

Sed & hoc eſt experientia clariſſimum: Vnuſquiſque ſentit, ſe naturali impetu ferri ad amandos eos, à quibus & colitur, & diligitur, eoſque abominari, à quibus & odio habetur, & contemnitur. Ethnici quoq; vt Chriſtus Dominus inquit, di-

diligunt diligentes, Quin & bruta
benefacientes ſibi amant, oderunt
malum inferentes. Principis ego
optimi eſt amare ſubditos, qui iuſtè
viuunt, qui eum colunt, & odiſſe
iniuſtos, & contemptores.

Et cum ſit notum lumine naturæ,
doceatq; S. Thomas 2.2. q. 110. 3.
6 4. & alibi vt Tab. aur. verbo pecca-
tum num. 408. verbo Pœna num. 95.
*quemlibet debere potiùs mori, & præ-
eligere pœnam in generali, quàm pec-
care non ſolum mortaliter, ſed etiam
venialiter*, hoc idem debuiſſet ho-
mo præſtare in ſtatu puræ naturæ, &
Deus naturæ auctor, & morum, le-
gumq; naturalium tutor vires ſuppe-
ditauiſſet, nam de impoſſibili im-
plicat dari præceptum; quare intra
ordinem naturæ eſſe poſſet martyri-
um, atq; adeò præſtantiſſimum me-
ritum felicitatis naturalis cum Iure
ad recuperandum corpus vitale in-
ſtrumentum, ac ſocium glorioſi
martyrij.

Poſſet ergo homo in eo ſtatu, de-
beretq; ſeruare leges naturæ. Immò
Iu-

Iuſtinianus in c. 1. Ep. 1. Ioannis verſ. 8. num. 9. pag. 47. col. 1. (poſt allata S. Auguſtini verba lib. 3. de libero arb. c. 18, in fine, vbi ait: *Non poſſe a libidenoſis operibus temperare non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.*) Sic aſſerit Eſſet tunc moraliter poſſibilis beatitudo adultis; Et in ſtatu puræ naturæ homo ſeruauiſſet legem naturę, & vt plurimum honeſtè vixiſſet, & in virtute progreſſus habuiſſet, & facile omni, quamuis leuiſſima culpa, vacauiſſet: Vnde caritate, religione, obedientia, moribusq; honeſtis, Dei vltimi finis naturalis ſibi beneuolentiam conciliauiſſet.

Hæc placuit prænotare, vt hinc ſciatur, hominem, præſcindendo ab ordine Gratiæ, & ſtatu ſupernaturali, habiturum fuiſſe media ad gloriam vltimi finis naturalis, & quoad Animam, & quoad corpus æternam, & id probari argumentis merè naturalibus.

Cor-

Corporum reſurrectionem ex Immortalitate Animę naturaliter deduci, & indubitabili Auctoritate, & ex Patribus probatur.

CAP. III.

DOgma Catholicum eſt corporis humani reſurrectio, quæ, vt de facto continget in nouiſſimo die, ſupponit ordinem gratiæ; at, quod ex natura rei debeat iterum animæ ſtabili vnione coniungi à
1 Deo, vt naturæ Auctore, Paradoxum pluribus eſſe videtur, quarè, antequam rationibus, congruentijſque naturalibus agamus, operæ pretium arbitror, noſtram aſſertionem diuina, humanaq; Auctoritate firmare.

Probatur autem primo auctoritate Chriſti Domini Matth. c. 22. vbi contra Sadducæos, qui dicebant non eſſe reſurrectionem, neque Angelos, neque ſpiritum (contrà ſentientibus Phariſæis Act. 23.) conuictos de Immor-

Digitized by Google

mortalitate Animæ argumentando probauit Reſurrectionem mortuorũ. Acceſſerunt quippè eum tentantes ſuper reſurrectione, quos repræhendit dicens. *Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei Matth.* l. c. 1. *idemquè habet* Marcus c. 12. addens. *Vos ergo multum erratis.* Quia verò Sadducæi admittebant Pentateuchum, Chriſtus indè argumentum hauſit ad eos de Reſurrectione conuincendos. *De Reſurrectione autem mortuorum,* inquit; *Non legiſtis, quod dictum eſt à Deo dicente vobis.* Exod. 3. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob; Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium:* Matth: l. c. & Lucas c. 20. addit: *Omnes viuunt ei*; Si ergo illi viuunt; vtiquè, eorum Animæ viuunt, & corpora reddentur, vt verè ſit eorum Deus, quos Moyſi nominauit, dum ei apparuit in flamma ignis de medio rubi: quod nunc non habeant Corpora, nihil ferè coram Deo eſt; cum id ſint habituri in omnem æternitatem, præ qua omne tempus fini-

finitum inſtat momenti eſt.

Quod Chriſtus Dominus, probata contra Sadduces immortalitate Animarum, argumentando concluſerit reſurrectionem mortuorum,
2 diſertisſimè aſſerit Catechiſmus Romanus Concilij Tridentini decreto, operaquè S. Caroli, & B. Pij V. iuſſu editus in Articulo Carnis Reſurrectionem, à §. Vtrum Parochi; vbi etiam docet, quod cum *Animæ Immortales ſint, & tanquam pars hominis ad humana Corpora naturalem propenſionem habeant, eas à corporibus perpetuò ſeiunctas manere, præter naturam exiſtimandum eſt: quoniam verò, quod naturæ aduerſatur, ac violentum eſt, diuturnum eſſe non poteſt, conſentaneum fore videtur, vt denuò Corporibus iungantur.*

Eccè Catechiſmus Romanus, cuius magna profectò eſt auctoritas, docet, animas ſeparatas habere naturalem propenſionem ad corpus: Si eſt naturalis: Ergo eis eſt impreſſa, & amata ab auctore naturæ ſapientiſſimo; rationem reddit, quia

Digitized by Google

quia anima eſt pars hominis; Ergo ex ſua natura habet intrinſecam connexionem cum corpore. Si præter naturam eſt, ſi aduerſatur naturæ, eas perpetuò ſeiunctas à corporibus manere, eſt omninò naturale, quod corpora reſurgant, ergo reſurrectio eſt à Deo, vt naturæ auctore.

Conſonat huic doctrinæ Cornelius à lapide in c. 22. Matth. vbi ſic tradit, anima, quæ eſt corporis forma, perpetuò exiſteret in ſtatu violento, & dimidiatam quaſi exiſtentiam, vitam, ac ſubſiſtentiam dumtaxat obtineret: Subditque, Chriſti argumentationem cōtra Sadducæos fuiſſe adeò perſpicuam, vt, teſte Matthæo, Turbæ audientes miratæ fuerint in doctrina eius tàm clara, ſcilicet, tam ſancta, & ſolida, qua ſummos eorum Rabbinos conuincebat, vt contra hiſcere non auderent: gratumque fuit Phariſæis, quod illis ſilentium impoſuerit. Idem ſentiunt gloſſa, & Nicol. Lyranus, l.c. S. Matth. & Beda in c. 12. Sancti Marci.

Digitized by Google

Probatur ſecundò auctoritate S.Pauli ex immortalitate animæ certè probari, & inferri reſurrectionem corporum, Corinth. c.15. aſſerit, vt certum Cornelius citatus, vbi idem dicit de Christo, & de auctore libri
3 Machabæorum,& in eadem Epiſtola verſ.31.pag.363.&verſ.22.pag.360. Idem prorſus docet Iuſtinianus in eadem epiſt.cap.1.pag.64. & in ea verba Pauli. *Si mortui non reſurgunt, comedamus, & bibamus, cras enim moriemur*, notat cum Chriſoſtomo, & Theophilato perſtringi eos, qui reſurrectionem, non admittebant, quaſi iidem animarum immortalitatem, & futuram vitam negarent: quare idem Iuſtinianus pag.638.notat, olim non ſolùm apud Iudæos, ſed etiam inter rectè Philoſophantes has duas quæſtiones de animarum immortalitate, & corporum reſurrectione adeò inter ſe connexas fuiſſe, vt pro eadem haberi poſſent, aſſertque ad hanc rem p.639. col.1. pulcherima Platonis verba ex lib.9. Euſebij de præpar. Euang. & addit.

Pro-

Profectò, ſi anima immortalis eſt, eademque corporis forma, abſurdum planè eſt, breuiſſimo temporis ſpatio illam corpori adhærere, in omnem verò æternitatem ab illo ſeiunctam quodammodò torpere; Itaque çum illa forma ſit immortalis, neceſsè eſt, ei corpus coniungi, vt quod ex vtraque conſtat, vita fruatur in omnem æternitatem duratura; hæc enim, vt ſæpè dixi, ita inter ſe nexa videntur, vt qui alterum tollat, vtrumque impugnet. Hæc apud Iuſtinianum.

Idem ſentiunt Sà in ſchol. in Euang. S.Matth. c.22. cum S.Hieronymo, & in lib.2. Machab. c.12. Tirinus, Menochius dicto loco S.Matthæi, cum Chryſoſtomo, Theophilato, Eutimioque, quibus adde Suarez in 3.par.to.4. diſp. 95. ſect.1.à nu.5. pag. mihi 922. qui & 3. par. tom.2. q.53.art.3.pag.598. affirmat, animæ glorioſæ connaturale eſſe vniri corpori immortali, & glorioſo. Addamus nos, & animæ damnatæ connaturale pariter eſſe vniri corpori immortali, ignominioſo.

Pro-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Probatur tertio ex c.12. lib.2. Ma-
chabæorum, vbi reſurrectio mortuo-
rum connectitur cum immortalitate
animæ; ait enim ſic; *Fortiſsimus
Iudas miſit duodecim millia drachmas
argenti offerri pro peccatis mortuorum
4 ſacrificium, iuſtè, & religiosè de reſur-
rectione cogitans, niſi enim eos, qui
ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſu-
perfluum videretur, & vanum orare
pro mortuis.* Benè, ſcilicet iuxta
naturam, religiosè, hoc eſt, iuxta
genium eius, qui eſt pietatis auctor,
& approbator, ſeu vt vertit Ioannes
dell'Haye in biblijs maximis pul-
chrè, & honeſtè cogitans; Quod au-
tem Act.17. in Areopago Epicurei,
Stoicique deriſerunt Paulum affir-
mantem mortuorum reſurrectionem
ſtulta fuit deriſio, ſapienter ſe geſ-
ſerunt, qui crediderunt cum Dio-
niſio, & Damari. Vndè & Chri-
ſtus Dominus, vt ſupra notauimus,
arguit Sadducæos dicens. *Erratis
neſcientes ſcripturas, & neque virtu-
tem Dei; Et vos ergo multum erratis,*
nempè contra ſcripturam, & in fidē,

& con-

& contra virtutem Dei, ideſt in lumine naturali, quia ad virtutem Dei, ſcilicet iuſtitiam, ſapientiamque, eiuſque ordinatum erga rerum naturas amorem, reddere corpora animabus, ſpectat.

Demum apud Suarez 3. par. to. 2. deciſ. 44. ſect. 7. ſentiunt reſurrectionem fore à Deo, vt naturæ auctore, Clemens, Auguſtinus, Thomas, Criſoſtomus, Theodor: Cyrillus Hieroſolymitanus, Damaſcenus lib. 4. cap. 28. vbi dicit, ſi non eſt reſurrectio, non eſt Deos, neque prouidentia, Tertullianus, Niſſenus, orat. 3. de Reſurrectione dicens, quod ſi non eſt reſurrectio, non eſt iudicium.

Digitized by Google

Auctoritate S. Thomæ probatur, Corporum Reſurrectionem eſſe naturaliter debitam.

CAP. IV.

PRobatur primò ex ijs, quæ Sanctus Doctor tradit in c. 15. ep. 1.
1 ad Corinth. l. 2. pag. 87. ſic. *Si negatur Reſurrectio Corporis, difficile eſt ſuſtinere immortalitatem animæ: Conſtat enim, quod anima naturaliter vnitur corpori, ſeparatur autem ab eo contra naturam ſuam, & per accidens, vndè anima exuta corpore, eſt imperfecta: impoſſibile autem eſt, quod illud, quod eſt naturale, & per ſe, ſit finitum, & quaſi nihil, & illud, quod eſt contra naturam, & per accidens ſit infinitum; Si anima duret ſemper ſine corpore*. Et paulò poſt. *Conſtat, quod homo naturaliter deſiderat ſalutem ſui ipſius. Anima autem, cum ſit pars hominis, non eſt totus homo, & anima mea non eſt ego; Vndè licet anima conſequatur ſalutem in alia vita,*

vita, non tamen ego, vel quilibet homo, & propterea cum homo naturaliter deſideret ſalutem etiam corporis, fruſtraretur naturale deſiderium. Ita S.Thomas verè, & clarè.

Infertur ex hac doctrina S. Thomæ ſic. Homo quod naturaliter deſiderat, volente naturæ ſapientiſsimo Auctore, deſiderat, qui illud deſiderium vniuerſim omnibus hominibus ratione vtentibus imprimit, & nos experimur. At eſſet deſiderium innaturale, ſi naturaliter nullo modo deberetur res deſiderata. Immò eſſet vitium, quin & impoſsibile; quia vitium naturæ eſt, vniuerſa eius indiuidua extendere deſiderium ad rem nullo modo impetrabilem ab auctore naturæ, & quam dare repugnaret naturali eius ſapientiæ, ſecundum quam ſcilicet ſe accommodat rerum naturis, ergo eſſet vitium, quin & chimericum, eſſet enim naturale, & non eſſet. At ſpectat eſſentialiter ad ſapientiam optimi artificis, non ponere in ſuo opere proprietates inanes, vitioſaſque, &

quæ arguant ſtultitiæ naturalis ſuum auctorem: Vndè eſt verum vulgatiſſimum illud axioma. Opus naturæ eſt opus intelligentiæ, hoc eſt, omnia prudenter, & conſentaneè ad rerum principia, cauſaſque, & finem diſponentis; non poteſt autem eſſe alius finis deſiderij prædicti, & deſiderantis naturæ, niſi perpetua ſocietas animæ, & corporis.

Adde, quod omne deſiderium naturale, & vniuerſale omnium alicuius ſpeciei indiuiduorum circa obiectum naturale ex ſe eſt tale, vt poſſit intra terminos naturalis virtutis illud explere, & non vtendo potentia abſoluta, & ſuperante ordinem rerum, nec alligata legibus naturæ, ergo prædictum deſiderium poteſt naturaliter expleri; Ergo reſurrectio eſt opus auctoris naturæ. Bonum deſideratum à natura poteſt perpetuò negari per modum pœnæ, quæ tamen pœna eſſet naturaliter debita peccato, & volita in cauſa.

Probatur ſecundò, quia S. Thomas

mas eadem lect. in fine aſſerit, *quod ſi reſurrectio mortuorum non ſit, non reputatur virtus, gloriaque, velle om-*
3 *nia delectabilia dimittere, & ſumere pœnas mortis, & contemptus, ſed potiùs ſtultitia.* Ita ibi. Sed eſt euidentiſſimum habenti vſum rationis eſſe virtutem, & maximè commendabilem apud omnes ſpernere aliquas vehementes voluptates, ad quas pars ſenſitiua impensè inclinat. Immò eſt lumine naturæ certiſsimum, abſtinentiam eſſe præceptam, & nefas eſſe non abſtinere, quin eſſe opus heroicum, malle diriſsima inter tormenta mori; quàm liberè acceptare huiuſmodi delectamenta, ergo reſurrectio mortuorum ex naturà rei eſt futura iuxtà S. Thomam, allatamque doctrinam.

Probatur tertiò ex lect. 4. pag. 88. col. 3. vbi ait: non obſtare, ſi dicatur, quod anima ſeparata præmiatur, quia, vt probatum eſt ſupra, non poſſet probari, quod anima eſt im-
4 mortalis. Item homines fruſtra ſe affligerent, ſi mortui non reſurgunt:

& ibidem §. dicit ergo &c. ad ea verba Pauli. *Si ſecundùm hominem ad beſtias &c.* quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? Explicat illud ſecundùm hominem ſic; hoc eſt ſecundùm rationem, ex qua homo eſt, hoc diſputando de reſurrectione; vel hoc dico, non ex reuelatione diuina, ſed ſecundùm hominem, ideſt ex inſtinctu humano, ſi tot pericula paſſus ſum &c. & loco citat. S. Doctor ad ea verba Pauli; *manducemus, & bibamus, cras enim moriemur*; ſic ſcribit. Paulus ponit tertium inconueniens, quod eſt: ſi reſurrectio mortuorum non eſſet, daretur occaſio fruendi voluptatibus, quaſi dicat, ſi non eſt alia vita, ſtulti ſumus, ſi affligimus nos, ſed manducemus &c. Sap. 3. *Venite, fruamur bonis, cras enim* (ideſt de proximo) *moriemur*, totaliter enim deficiemus in anima, & corpore, ſi mortui non reſurgunt; Et paulò poſt, quaſi dicat; Si reſurrectio mortuorum non eſt, ſtultum eſſe non vti laſciuijs, & voluptatibus; nè ergò

ad

ad laſciuias inducamini, nolite ſeduci ab his, qui negant reſurrectionem. Ita S. Thomas: Si ergo ex Doctore gentium, & Angelico Magiſtro eſt inconueniens, mortuos non reſurgere, cum omne inconueniens ſit contra ordinem ſapientiſſimę naturæ, vtiquè animæ naturaliter reſtituetur corpus.

Probatur quartò, ex lect. 9. in ea verba Pauli; *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc &c.* Explicat S. Doctor neceſſitate congruentiæ, & hoc propter tria, primò propter completio-
5 nem humanæ naturæ, nam ſicut etiã dicit Auguſtinus de Gen. ad litt. lib. 12. c. 35. Anima, quamdiù eſt ſeparata à corpore, eſt imperfecta non habens perfectionem ſuæ naturæ, & ideo non eſt in tanta beatitudine ſeparata exiſtens, in quanta erit corpori vnita in reſurrectione; *Oportet ergo corruptibile hoc &c.* Secundò propter exigentiam diuinæ iuſtitiæ, vt ſcilicet, qui bona, vel mala fecerunt in corpore, punian-

tur, vel etiam præmientur in corporibus ipſis. Tertiò propter id, quod ſupradictum eſt, §. Probatur tertio.

Infertur ex his primò, quòd, cum repugnet auctori naturæ ſapientiſsimo, naturas præſertim omnium præſtantiſsimas perpetuò ſeruare
6 imperfectas, neceſsè eſt, vt iterum anima, & corpus vniantur; ergò naturaliſsimè vniuntur; patet, quia, nihil tam naturale eſt, quàm vt opera diuinæ ſapientiæ perficiantur ab eadem, quantùm iuxtà ſuas proprietates naturales exigunt.

Infertur ſecundò, quod Deus faceret contra naturam diuinæ iuſtitiæ, ſi non excitaret corpora, ergo naturaliter ſunt excitanda ab eo amantiſsimo ſuæ cuiuſcumque perfectionis; At ſi iuſtitia exigit corpus reddi animæ rationali, non autem reſuſcitari corpus Bucephali, vtiquè datur in anima rationali exiſtente meritum phyſicum ad reſurrectionem corporis, alioqui nulla hìc eſſet iuſtitia, quæ eſſentialiter eſt ad aliud exiſtens cum iure phyſico,

ſico,

ſico, vel morali, vel vtroque. Ex dictis ergo manifeſtè conſtat iuxtà S.Thomam, ex immortalitate animæ probari corporis reſurrectionem, & quæ probant æternam durationem animæ, probare etiam æternam corporum vitam, ac ſemper duraturum hominem. Aduertit autem S. Doctor lect.5.pag.89.col.1. non eſſe verum, quod in pulueribus corporum humanorum mortuorum ſit virtus actiua ad reſurrectionem, quod etiam tradit lect. 6. col. 2. & Cornelius à Lapide in eodem cap. epiſt.S.Pauli.

Obijcitur.S.Paulus.1.ad Corinth. cap. 15. de reſurrectione ſcribit. *Ecce myſterium vobis dico*. Si ergo
8 myſterium eſt, non poteſt, probari ratione naturali; nam tàm apud Græcos, quàm apud Latinos, & in ſcripturis ſignificat rem occultam, & arcanam, at quod naturali ratione ſcimus, arcanum non eſt.

Reſpondetur. Eſt myſterium quoad modum, & ordinem, quo de facto fiet. Concedo: quoad ſub-

Digitized by Google

ſtantiam, nego. Circumſtantias, modum; ordinemque, quas Paulus manifeſtat, ſolo naturali lumine ſcire non poſſumus: ait enim: Erit *in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba*, & ad Theſs. cap. 4. *Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi &c.* fiet ergo reſurrectio, & Angelorum miniſterio, & tam miris dotibus corporis glorioſi, quæ ſupponunt ordinem gratiæ, & ſummum Incarnationis myſterium, & alia contingent, quæ ſolo naturæ lumine ſcire non poſſumus.

S. Paulus illo cap. 15. naturalibus rationibus, ſeu congruentijs reſurrectionem mortuorum neceſſariò futuram probauerat, vt ibidem magnus interpres eius docet S. Thomas; vndè eſſet planè abſurdum, eamdem ſic probatam vocare myſterium; perindè ac ſi quis, demonſtrata animæ immortalitate, tum de ea diceret: Ecce myſterium dico, hoc eſt rem arcanam: anima eſt immortalis

mortalis: quid ineptiùs?

Quod Apoſtolus ijs verbis. *Ecce myſterium dico*, loquatur de circumſtantijs, modo, & ordine huius reſurrectionis, docent S. Thomas ibi lect. 8. Dionyſius Carthuſianus, Nicolaus de Lyra, in gloſs. ordin. Chriſoſtomus, Cornelius à Lapide cum Theophilo, Iuſtinianus, Salmeron. & alij in eum Pauli locum: quod adeò eſt certum, vt nemo legens, & intelligens poſſit de hoc prudenter dubitare. Modus ergo ille, & ordo ſunt à Deo, vt eſt Dominus naturæ, qua ratione poteſt dici reſurrectio ſupernaturalis quoad modum; nihil enim eſt in rerum natura, cui debeatur talis modus, talis ordo, tales circumſtantiæ: at reſurrectio ſecundùm ſe, vtique eſt iuxta naturam, & eius lumine nota.

Sic quod Deus creet animam rationalem, diſpoſito Embryone, natura eſt; eſto in Embryone nec ſit, nec poſsit eſſe vlla virtus productiua animæ rationalis, quod Deus quo-
8 que excitet corpora mortua, natu-

rale eſt, licet in materia corporum nulla ſit virtus reproductiua corporum; ſic & in prima productione hominis Deus eſt auctor naturæ creans, ità, & in ſecunda productione agit quoq; partes auctoris naturæ. Quod, producta hac omnium corporum mole, Deus produxerit hominem, non fuit myſterium, non fuit opus ſupra, vel contrà naturam, immò debuit homo, ſeu ſenſitiuum rationale, naturaliter produci; At quod hic homo, hæc fœmina, Adam, & Eua, hoc modo, hoc loco cum his dotibus &c. producti fuerint, non eſt iuxtà exigentiam rerum, ſeu naturarum præexiſtentium; merum fuit id Dei arbitrium, poterat quippè alium hominem producere, & aliis modis.

Tota corporum moles ſpectabilium exigebat animal rationale, in quo ſeruiret naturaliter fini intento à Deo illorum productione. Quod hodie, quod hic, quod in hoc vtero &c. hæc anima producatur, & non alia, arbitrium ſit Dei Creatoris,

ris, quod aliqua producatur, natura eſt; Ita quod corpora reſurgunt, eſt opus naturæ, quod hìc, nunc, hoc modo &c. arbitrium eſt: Reſurrectionem exigit anima, exigunt reliqua omnia corpora. Attendit Deus in producenda anima materiæ præexiſtentis diſpoſitionem, attendit in ſecunda productione diſpoſitionem, & naturam animæ; Non minus meretur anima reproductionem corporis, quàm olim corpus productionem animæ. Quid ni multò magis? Anima & vt forma phyſica exigit, & vt agens morale nempè duplici titulo, vel iure, reſurrectionem.

A doctrina, & auctoritate eiuſdem Doctoris Angelici.

C A P. V.

1 SAnctus Thomas in cap. 15. ad Corinth. 1. in lect. 4. col. 2. ad litteram H. iterũ aſſerit, quod ſi reſur-

Digitized by Google

rectio mortuorum non eſt, non poſſet probari (vt ſupra dixerat) immortalitas animæ.

Subſumo. At eſt euidenter, & ex natura rei neceſſarium, probare animam rationalem eſſe immortalem, quod & ſuo loco oſtendit Sanctus Doctor, ergò ex natura rei eſt neceſſaria corporum reſurrectio: Hæc ratio S. Doctoris eſt prorſus naturalis, quia petitur à prædicato naturali, & euidenti animæ, hoc eſt ab eius immortalitate.

2 Idem S. Doctor lect. 3. col. 2. ad Litt. I. ait, Apoſtolum ibi loqui de reſurrectione ad vitam naturæ, ad quam omnes viuificabuntur, Et malos viuificandos vita naturæ, bonos inſuper vita gratiæ. Ex quo vides, & Apoſtolum ex S. Thoma, ibi agere de reſurrectione ſecundùm naturam, pro qua affert rationes omninò naturales, vt liquet benè legenti. S. Paulus, vt notat S. Thom. l. 4. col. 2. ad Litt. H. ad ea Apoſtoli verba: *Si ſecundum hominem &c.*

&c. explicatur ibidem: Si reſurrectio mortuorum non eſt &c. ſtulti ſumus, ſi affligimus nos, atque ſtultitia non eſt quid ſupernaturale, ſed medius terminus nimis naturalis defectiuæ naturæ humanæ. Eſt euidens, non eſſe ſtultum ſubditum, dum pro Principis honore, & lege ſe affligit, vitamque profundit.

3 In fine lect. 5. Qualitates corporum reſurgentium, docet, fore proportionatas merito morientis, & idem habetur lect. 6. Sed meritum habet ex ſua natura proportionem cum præmio, vel pœna; ergò Deus tunc vtitur munere auctoris naturæ, ſeu retribuentis iuxtà naturam meriti: Erunt quidem de facto in ordine ſupernaturali merita iuſtorum, cum ſint ex gratia, ſed præſcindendo ab ordine hoc, ad quem ex mera ſua benignitate (non ex conſtitutione naturali humanæ conditionis, vt ſentiunt Baius, Ianſenius damnati, quibus facem prætulit Caluinus, & alij huius picis homines)

nes) eleuauit, & ſiſtendo in ſtatu naturæ, naturaliſſimum eſt reddi cuicumque iuxtà meritum, ac demeritum: hoc præſtant clariſsimo naturæ lumine, Pagani, Idololatræ, Turcæ, & qucuis tempore quicumque infideles à lumine fidei alieni, & veſtigium huius aliquod apparet in belluis exhibentibus, vtcumque poſsint, amoris ſigna erga benemerentes de eis, & iræ, aut furoris contra malefacientes.

Adde, reproborum merita procul dubio non eſſe ſupernaturalia, ſed defectiuæ libertatis monſtra naturalia, & contra naturæ leges immutabiles, & in hoc ordine ſupernaturali contra gratiam, gratiæque auſterem Deum.

4 Idem S. Doctor in 4. diſt. 43. art. 1. docet, ſecundum Philoſophum patere, quod, ſi in hac vita homo non poteſt eſſe beatus, neceſsè eſt reſurrectionem ponere. Sed eſt euidens naturaliter, in hac, quam viuimus, vita, nullum hominem

poſſe

poſſe eſſe beatum; ergo eſt euidens ſecundùm Philoſophum, reſurrectionem eſſe admittendam ſecundùm naturam, iuxtà quam loquitur Ariſtoteles.

5 Idem ibidem ad primum aſſerit Chriſtum Dominum per ea verba. Matth. 22. Exod. 2. *Ego ſum Deus Abraham, &c.* contra Sadducæos ſubtiliſſimè, & efficaciſſimè probauiſſe reſurrectionem: At non alia ratione vſus eſt, niſi petita ex immortalitate animæ, vt patet ex eodem S. Doctore, & ego fuſiùs oſtendi, cap. 2. opuſculi mei. At hæc ratio, vt ſupra dixi, eſt naturaliſſima.

S. Thomas ibidem ad tertium, docet, quod operatio eſt coniuncti
6 (ideſt hominis) & non tantùm animæ, vt patet per Philoſophum 1. de Anima: Et quia operanti debetur merces, (vtiquè non ſupra, ſed iuxtà naturam operis) oportet, quod ipſe homo operis ſui mercedem accipiat.

Operi meritorio naturali debetur

tur merces naturalis, vt de facto accidit ſemper reſpectu operariorum; nec enim foſſori, aurigæ, coquo &c. datur merces ſupernaturalis, at iuxtà naturam, & iuſtitiam naturalem: In his Deus oſtendit genium ſuum naturalem dandi in quouis ſtatu, vel naturæ, vel gratiæ mercedem proportionatam. Oportet ergo, denotat naturam, non autem gratiam. Sed de hoc ipſo ſupra num. 3.

Idem S. Doctor in 4. diſt. 43. art. 1. ad 2. quæſt. aſſerit, quod anima in perfectione vltima ſpeciei humanæ
7 eſſe non poteſt ſeparata à corpore, vnde nulla anima in perpetuum remanebit à corpore ſeparata, ideò neceſsè eſt, ſicut vnum, ita omnes reſurgere. Ex hoc habes, quod cum anima in ſua naturali perfectione vltima conſtituat ſpeciem humanam vt forma, & pars potiſſima eiuſdem ſpeciei, vt hominis, ſeu humanæ naturæ ſpecies ſeruetur, debet eſſe corpori vnita; vndè, eſtò modico tempore ſeparetur; nulla tamen

in

in perpetuum remanebit à corpore
ſeparata. Hoc porrò argumentum
naturale eſt. Anima rationalis non
eſt homo, vt contra Vgonem de
Sancto Victore, dicit S. Doctor. 1.
quæſt. 75. 4. & alijs pluribus in locis:
quos videre eſt in Tab. aur. num. 66.
v. Anima, ſed ſua natura eſt ad con-
ſtituendum hominem: atque adeò
vt in corpore organizato ſuo ſeruiat
conditori Deo, ex rebus ſenſibili-
bus diuinas perfectiones legendo, &
glorificando, quod argumentum
fusè à me demonſtratur in opuſcu-
lo. Vndè S. Doctor 1. q. 75. art. . .
Tab. aur. num. 53. ait, rectiſſimequè
monet, quod anima rationalis per
ſe non habet ſpeciem completam,
ſed eſt pars humanæ ſpeciei: hæc
eſt ratio facilis, naturalis, & obuia.

Item 1. q. 51. 1. cap. Anima vnitur
corpori, vt ipſa perficiatur. Tab. ver-
ſic. Anima nu. 113. & 1. qu. 89. 1. &
alibi ſæpè Tab. nu. 115. Anima vnita
corpori perfectior eſt, quàm ſepara-
8 ta. Ergò animæ ſecundum natu-
ram perfectio eſt, vnitam eſſe cor-
pori:

pori: quare, ne hoc opus diuinum ſit perpetuò imperfectum, ac proindè ſapientiſſimo indignum opifice, ſpectat ad naturalem eius ſapientiam corpori in æternùm vnire. Et in 4. diſt. 43. art. 1. ad 4. ait, quod perfectior eſt ſtatus animæ in corpore, quàm extra corpus cæteris paribus.

Sanctus Thomas. 1. q. 89. 1. cap. &
9 alibi ſæpè Tab. aur. nu. 179. docet. *Animæ eſſe ſeparatam à corpore, præter naturam eſſe. Et animam ſeparatam habere aptitudinem, & inclinationem naturalem ad ſui corporis vnionem.* 1. q. 76. 1. 6. & alibi pluries. Tab. aur. nu. 229. Ergo reſurrectio mortuorum ſecundùm ſe ſpectat ad Deum, vt naturæ auctorem, alioquì ſeparatio nec eſset animæ pręter naturam, nec haberet inclinationem naturalem prædictam. Nam inclinatio naturalis, quà, talis, ſolummodò reſpicit auctorem naturæ. Anima ita amat ſuum corpus, vt teſte Sancto Doctore, 1. 2. qu. 4. 5. 4. etiam in hoc ordine eleuationis

fruens

frnens Deo, velit ſuo corpori felicitatem, & ideò ei iterùm vniri.

In anima ſeparata, vt in radice, manent habitus virtutum partis inferioris. Tab. nu. 146. Ne ergo illi habitus ſint in æternùm ſine ea parte, ad quam intrinſecè, & ſua natura referuntur, naturæ eorum, planè conſentaneum eſt reſtitui animæ partem inferiorem; ergò auctor naturę ſuam cuicumque naturæ volens, & amans proprietatem, organicum corpns reddet, ſine quo non poteſt eſſe appetitus ſenſitiuus. Quod confirmatur, quia S. Doctor 1. quęſt. 76. art. 3. & alibi, vt ex Tab. nu. 329. aſſerit. *Quod anima ſenſitiua in homine eſt incorruptibilis*; ergo ei eſt naturale coniungi cum organico corpore, in quo exerceat functiones vitales gradus ſenſitiui, & ne vacet in ęternùm, vt ſenſitiua, ſeù à cognitionibus ſenſibilium, ex quibus dicitur rationalis, ſeu ratiocinatiua ad res ſuperantes rerum ſenſibilium ſphęram, vt ſunt inuiſibilia Dei, ac perfectiones.

Libet hìc prædictis addere egre-
11 giam doctrinam Salmeronis in 1. Corinth. cap. 15. diſp. 23. pag. 203. col. 2. fin. vbi ait ad rem noſtram ſic. Apoſtolicæ doctrinę eſſe ſecundùm veram Philoſophiam, quam nec Philoſophi, nec vlli proterui negare valent, quod ponentes animam eſſe immortalem, neceſsè eſt, admittere, eſſe reſurrectionem: Et è conuersò, qui negant reſurrectionem, etiam negare animę immortalitatem debere. Nam animam ponere à ſuo corpore ſeparatam, ac proindè viuam, non eſt, eſſe ex numero eorum, qui in Philoſophia ſunt bene inſtructi, qui naturalia deſideria non debere, nec poſſe eſſe fruſtra, concedunt.

Hinc habetur, vt alibi diximus, ex immortalitate animæ, quę eſt indubitatè eius naturale prędicatum, non tantùm Theologicè, ſed ſecundùm veram, certamque Philoſophiam deduci corporum reſurrectionem, quod planè congruit cum ſupra laudata S. Thomę doctrina, &

alijs

alijs apertè docentibus, Apoſtolum immortalitatem animæ connectere cum reſurrectione corporum.

15 Et idem Salmeron. in cap. 15. cit. diſp. 24. pag. 209. col. 1. aſſerit. Paulum contra Iudæos refractarios, & proteruos hæreticos tàm ſolidis, & firmis argumentis vti, vt nemo ex aduerſarijs poſſet illi reſiſtere, & contradicere. (At cum infidelibus, & à Chriſtiana Theologia alienis, rationibus vtendum à naturali Philoſophia deductis.) Item vſum fuiſſe rationibus probabilibus cum alijs non malè diſpoſitis.

Adde, quod Tirinus in ea verba Sancti Pauli cap. 15. 1. Corinth. Si mortui non reſurgunt, docet cum Sancto Thoma, & Suarez ibi, Immortalitatem animę, & corporum reſurrectionem eſſe planè connexas ex ſua natura: aſſeritque, ſemper fuiſſe communem hominum perſuaſionem, quod, ſi anima eſt immortalis, reſurrectio corporum certè ſecutura eſt. Ita pag. 775. col. 1. §. dices, & ſic ex ſola animę im-

Digitized by Google

immortalitate rectè deduci corporum rèſurrectionem: vndè reſurrectio corporum humanorum ſecundùm ſe non eſt myſterium, ſed res nota lumine naturæ omnibus rectè philoſophantibus, & ſecundùm rationes naturales. Eſt ergo dogma Catholicum, ſed etiam dogma naturale, certiſſimum lumine fidei, & à nemine prudenter dubitabile ſecundùm lumen naturę, ſicut Dei exiſtentia, & fidei dogma eſt, & naturę, quod Deo reuelante credimus, & natura ſuo lumine probante cognoſcimus, & ſcimus.

His quoad auctoritatem diuinę ſcripturæ, & Patrum, Angelicique Doctoris pręnotatis tranſeamus ad naturales rationes, quibus hoc iuſtis hominibus dogma ſuauiſſimum poteſt congruè, & ſalubriter, atque efficaciter probari, ſeu illuſtrari, ac roborari.

Dog-

Dogma Catholicum de Reſurrectione Corporum probatur rationibus naturalibus: & primò à pœna ſenſibili.

CAP. VI.

POena eſt eſſentialiter poſſibilis; & cum ſit intrinſecè relatiua ad culpam, ſolummodò poteſt illis infligi creaturis, quæ ſunt capaces culpæ,
1 quæ cum habeat varios gradus, varij etiam debent eſſe pœnarum gradus; Ergò pœnarum propriè ſunt tantùm capaces creaturæ habentes libertatem defectiuam: hæ autem ſunt Angeli, & homines peccantes, hoc eſt. ſe ſe liberè ſubijcientes meritò pœnarum, nam torquere immerentem eſt iniquitas, & pœnis velle afficere innocentem eſt velle chimæram, eſſent enim, & non eſſent pœnæ.

At pœnarum aliæ ſunt inſenſibiles, aliæ ſenſibiles, illis poſſunt puniri Angeli, ſi peccent, & anima intel-

intellectiua: talis eſt ignominia, v.g. cuius non ſunt capaces naturæ
2 materiales. Hæ autem ſunt, quæ ſenſibus percipiuntur. At, ſicut pœna inſenſibilis, & ſpiritualis ſpectat tantùm ad agens, & ſubiectum ſpirituale, ita pœna corporalis, & ſenſibilis ſpectat tantùm ad agens, & ſubiectum ſpiritnale, & ſenſitiuum. Hoc autem non eſt vllum Brutum, nec Angelus: hic eſt purè ſpiritualis, illud eſt incapax peccati; Ergo culpa meritoria pœnæ ſenſibilis nō poteſt eſſe ex natura rei, niſi culpa viuentis corporei liberi, & hoc eſt ſolùm homo, animal liberum, intellectiuum, & ſenſitiuum.

De facto innumeri homines malis, pœniſque ſenſibilibus afficiuntur: Eſt euidentiſſimum. Poſſunt & debent ſic punire Principes, & Iudices in hac ſenſibili humana republica; Ergo poſſunt ob poteſtatem acceptam à Deo omnium cauſa, & Principe primo. Ab illo eſt omnis creaturæ vis, ac poteſtas. Et
3 aliquandò debent punire; Ergo debent

bent propter obligationem ijs impreſſam ab eodem Principe primo, & Iudice increato, cuius iudicio ſubiacent omnia. Principes creati, vt puniant iuſtè, debent ſcire delictum, eius qualitatem, numerum, circumſtantias aggrauantes, & minuentes. At ſolùm poſſunt ſcire delicta ſenſibilia, quia hæc tantùm per ſe nocent ſenſibili Reipublicæ, quam regunt: Et quia aliquandò delicta atrociſſima non poſſunt probari, quia ſunt occultiſſima, in foro ſenſibili humano manent impunita, & ſic, niſi remittantur ab eo, in cuius conſpectu non eſt vlla creatura inuiſibilis, ſpectant ad eius forum, qui omnia optimè noſcit, & cuius poteſtas eſt illimitata, quoad locum, quoad tempus, quoad perſonas.

Poteſt autem homo eſſe in foro humano tot, & tàm atrocium criminum reus, vt iuſtè ei poſſit infligi quæcumque pœna humano modo poſſibilis. At forum humanum tantùm poteſt punire crimen, quatenùs infert malum Reipublicæ hu-

manæ, in quo foro ſæpè ignoratur tota grauitas delictorum. At delicta interna contra Dei, & naturæ leges, eſtò ordinata ad opus prauum ſenſibile, ſpectant tantùm ad Deum; quia ille ſolus poteſt ſcire eorum numerum, & grauitatem, & congruis afficere pœnis. Poteſt ergo homo eſſe reus pœnæ ſenſibilis coram Deo maioris omni pœna ſenſibili, quam poſſint inferre quicumque Principes creati. Eſt enim euidens lumine naturæ, expedire, vt per quæ quis peccat, & primam cauſam contemnit, per eadem & tormenta patiatur. Sed naturæ auctor facit, quod expedit, vt faciat, ergo per ſenſibiles pœnas naturaliter punit peccata ſenſibilia ad ſuum forum ſpectantia, iuxtà numerum, & & qualitatem eorum.

Itaquè homo vſquè ad hanc mortem, cui & mali ſubiacent, & boni, infectus plurimis, grauiſſimiſque peccatis ſenſibilibus eſt reus in foro Dei pœnæ grauiſſimæ, & eiuſdem Dei iudicio grauiſſimæ, vt gra-

grauiſſima eiuſdem iudicio fuere ſcelera ſenſibilia. At in foro entis infiniti nihil eſt graue, nihil magnum, niſi habeat notam infiniti: Ergo talis homo eſt reus naturaliter pœnæ ſenſibilis infinitæ, at non in intenſione, ergo in extenſione, ergo æternæ, debet enim pœna à Deo contempto grauiſſimè aliquo modo ſuperare pœnam, quam infert quæuis creata poteſtas iuſtè, quantò eſt maior maieſtas contempti Dei humana quacumquè maieſtate, quæ præ Deo ferè nihil eſt, ergo cum non ſit poſſibilis infinita intenſiuè pœna, vt alibi probo, & hìc ſuppono, debet ex natura rei eſſe infinita extenſiuè, ergo ex natura rei eſt corpus reddendum animæ, vt in eo luat pœnas æternas ſenſibiles connaturaliter debitas peccatis cum ſocio corpore ſenſibiliter patratis, cuius ſenſibiles delectationes in facie Dei prætulit Dei placito, & legibus æternis.

Confirmatur primò, quia anima è corpore egrediens infecta pecca-

tis ſenſibilibus, & manens actu, habituque affecta ad crimina ſenſibi-
6 lia habet ſemper ſecum meritum pœnæ ſenſibilis naturale; ergo debet ſemper ſenſibiliter puniri. Adde, quod nunquam poteſt benè ſatisfacere pro tanta culpa; ergo ſemper remanet ſubiectum iuſtitiæ punitiuæ. Rursùm, ſi eſt poſſibilis pœna æterna ſenſibilis, iuſtè poteſt infligi ei, qui, quantùm eſt in ſe, vult æternùm vacare ſenſibilibus bonis prohibitis; hęc autem voluntas eſt libera, ergo poteſt concipi, & ſeruari ſine termino; ergo poteſt naturaliter mereri homo æternam ſenſibilem pœnam; Ergo hæc voluntas eſt motiuum naturale auctori morum ad reddendũ corpus, quandiù ea durabit actu, vel habitu.

Confirmatur hæc doctrina ſecundò; quia maieſtas, quæ contemptores ſuos poteſt naturaliter pœna tantummodò temporali deterrere,
7 eſſet infinitè minor ea, quæ poſſet etiam pœna æterna: At talis eſt neceſſariò diuina maieſtas, quippè

quæ

quæ eſt infinita; ergo, qui eam contemnunt, etiam ob bona ſenſibilia, debent naturaliter deterreri pœna ſenſibili infinita, vult enim peccans ibi, & in eo pœnam voluntate conſequente, vbi vult delectamentum, & bonum prohibitum; ergo in appetitu ſenſitiuo, in quo, & ob quem grauiter ſpernit infinitam maieſtatem, debet pœna affici infinita, ſeu æterna; ergo eſt naturaliter neceſsaria reſurrectio corporum.

Infertur ex dictis, quod cum Deus poſsit, & debeat iuſtiſsimè minari pœnas æternas peccantibus,
8 & in eodem prauo affectu perſeuerantibus, & nunquàm dignè ſatisfacientibus, cum nec id ex ſe poſſint, eſſet manifeſta imprudentia, vitiumque, & abominabile Deo, iudicare, quod minatæ pęnę nō erunt æternæ; ſicut in foro humano debet eſſe certa ſtultitia credere, quod læſæ maieſtatis reus non dabit pœnas dignas ſcelere, cum eſt iam in poteſtate Principis læſi grauiſſimè, qui poteſt

Digitized by Google

quidem abſolutè non punire ob ſuã benignitatem, ſed non poteſt non punire ſecundùm iuſtitiam, & vt Iudex eſt; ergo ex iuſtitia obligatur, at omnis naturalis obligatio eſt à fortiore, & à ſuperiore ipſi obligato, qui eſt Deus, atque adeò qui neceſſariò habet eam virtutem, ad quam alios obligat; Ergo Deus, ſuam maieſtatem, & iuſtitiam intuendo, videt motiuum infinitum naturaliſſimum ad puniendam pro meritis pœna æterna animam, & appetitum ſenſitiuum; Ergo naturæ auctor, & morum reddet animæ corpus in æternùm.

Dices. Poteſt puniri anima deſtructione corporis, ergo non oportebit corpus excitari, & denuò ei vniri.

Reſpondetur. Nego antecedens primò, nam etiam deſtruuntur iuſtorum corpora, & nunquid puniuntur?
9 Eſſet ergo, & non eſſet punitio. Secundò, anima debet vitare peccata, ergo & deſtructionem prædictam, ergo habet naturalem obligationem

viuen-

viuendi ita, vt ei iterum corpus ſocietur: Tertiò, quia animæ peccatis infectæ eſset fauor, non pœna, ſi corpus ei non redderetur, cum quo magis, & acerbiſsimè torqueretur. Quartò: pœna debetur homini, hoc eſt perſonæ, alioquin non eſsent peccata perſonalia propriè; coniunctione corporis augetur miſeria, & ipſe dolor ſenſibilis naturaliter (ſcilicet ſic volente auctore naturæ) exprobrat perſonæ damnatæ ſuam turpitudinem in capiendis contra legem æternam delectamentis ſenſibilibus. Quod Dei contemptores reſurgant, non eſt gratia, ſed iuſtitia. Quare iure optimo S. Paul. Rom. cap. 1. repræhendit Philoſophos Idololatras, qui cum Dei iuſtitiam cognouiſsent, non intellexerunt, quoniam, qui talia agunt, digni ſunt morte: loquitur autem de lumine naturæ ijs impreſſo, & ſecundùm rationem naturalem. Porrò nomine mortis ibi, non intelligitur mors communis omnibus tàm bonis, quàm malis, ſed

Digitized by Google

mors alia ſolis impijs, & diuinitatis contemptoribus debita, quæ vtiquè debet afficere animam extra corpus, & independenter à corpore; ergo debet eſſe malum, pœnaque, & ſeparatio à principio vitali aliquo animæ proprio ſecundùm potentias animę, intellectum, & voluntatem: Hoc autem principium eſt Deus fons vitæ felicis, vndè vides eam mortem eſſe pœnam damni, vt vocant Theologi; Et cum Idololatræ, quos grauiſsimè arguit Apoſtolus, nefandis ſceleribus ſenſibilis appetitus ſe contaminauerint, ſenſibilium & pœnarum reos ſe conſtituerunt ſinè fine; ergo eſſet ſuprà, vel contra ordinem naturæ, ſi non reſurgerent.

Diximus ſupra, Principes creatos habere obligationem naturalem inferendi pœnas ſenſibiles ob delicta
10 ſenſibilia probata à ſuo foro; hæc obligatio naturalis eſt à Deo; ergo indicat Deum habere hanc voluntatem naturalem puniendi ſenſibiliter peccata ſenſibilia ſpectan-

tia

tia ad ſuum forum infinitum, ergò, cum dentur peccata ſenſibilia grauia, & grauiſſima, & plurima ſpectantia ad forum infinitum Dei, Deus naturaliter vult punire illa poena ſuo iudicio verè graui, vt verè coràm eo grauia ſunt, ergo vult punire poena aliquo modo infinita, vt alibi diximus, etſi Deus non haberet dictam voluntatem naturalem, nec Principes haberent eam obligationem naturalem, quam tamen euidentiſsimè habent.

A delectatione ſenſibili.

CAP. VII.

CReaturæ ſenſibiles vim duplicem poſſunt erga homines exercere, ſcilicet oblectando, & vexando; Hæc vtraque vis eſt à Deo participata, ergo eſt ad indicandam
1 ſuam puram perfectionem, quod & eſt eius gloria. Ex hoc duo doce-

tur homo; primum huiuſmodi vim oblectatiuam eſſe in Deo puram, & infinitam, ſecundùm eſſe in eo pariter vim vexandi illimitatam; Ergò homo eſt capax experiendi hanc vim vexatiuam ſine limite, & ſic in æternùm, vt ſupra diximus.

Si ergò eſſe poteſt reus pœnæ ſenſibilis æternæ, poteſt etiam eſſe meritorius æternæ delectationis ſenſibilis. Hoc meritum eſt naturalitèr tantummodò operatio, & paſſio ſenſibilis, præſertim permoleſta, tolerata, & elicita in obſequium primi delectantis Dei, vnde martyres, & caſtos, quorum moleſtiſſima eſt pugna, ac diuturna, maxima delectatio etiam ſenſibilis manet congrua ſtatui tranquilliſſimæ pacis.

Confirmatur à genio euidente naturæ creatæ, cuius eſt eſſentialis
2 proprietas indicare purum genium increatæ naturæ: Principes creati præmiant bonis, etiam ſenſibilibus eos ſubditos, qui liberè pro eis bona ſua ſenſibilia profuderunt, aut ſpreuerunt, purantque ſe reos imprudenpruden-

prudentiæ, ſi id non faciant, ergò eſt indicium certiſſimum, quod naturalis eius genij auctor, & imprudentiæ abominator vult delectationibus ſenſibilibus felicitare bona ſua ſenſibilia pro eo ſpernentes, & moleſta tolerantes; nam ideò debentur à Principe creato bona ſenſibilia ſubdito, quia bonis, & malis ſenſibilibus Principis gloriæ ſeruiuit, ergo idem eſt ſentiendum omninò de Deo auctore eius genij, & moralis obligationis impreſſæ in Principe creato, ergo ex natura rei eſt reddendum corpus animæ à Deo auctore naturæ.

Infertur, quod, ſi in æternùm erunt corpora ex ſua naturali proprietate apta ad oblectandas potentias ſenſitiuas, hoc ipſo exigent ab earum auctore, & amatore optimo eius proprietatis viuens ſenſitiuum, & intellectiuum, in quo ſolo poſ-
3 ſunt ſuis naturalibus operationibus proximè ſeruire gloriæ primæ cauſę, hoc eſt cognitione puræ, & infinitæ eius virtutis ad oblectandum ſem-

per, & amori erga eam, ac reuerentiæ, à qua deſcendit in creaturas omnis oblectatiua virtus; Ergo exigunt æternam vitam appetitus ſenſitiui, & hominis, in quo meritoriè, & fuga, vel vſu honeſtiſſimo delectationum ſenſibilium famulata ſunt Creatori omnium, vt ibi ſit pura, & ſtabilis delectatio ſenſibilis, vbi fuit meritum illius. Ex quo liquet, non effugere vim rationis, ſi dicat quis ſufficere, vt noua, ac noua ſemper producantur indiuidua humana, quia nmquàm præmium delectationis, & pura delectatio daretur merenti, & vt merces; Ergo eſſet, & non eſſet meritum, quod repugnat; Ergo corpora ex ſuæ virtutis recreatiuæ proprietate naturali exigunt reproductionem hominis, quod idem valet, quoad vim cruciatiuam hominum. Vndè lux corporea, calor, frigus &c. omninò deberent deſtrui, ſi homo non reproduceretur. Veriſſimè Deuter. 4. dixit Moyſes, Solem, & Lunam, & omnia alia aſtra creauit Deus in

mini-

miniſterium cunctis gentibus: ergo quandiu illa erunt, etiam homines erunt, & viuent, repugnat quippè eſſe æternos miniſtros, & miniſterium perpetuum, & in æternùm non eſse, cui miniſtrent, & ſeruiant vt ſequenti capite conſtabit.

Ab amore primæ cauſæ productiuo corporum, eorumque fine, & à ſimili.

CAP. VIII.

PRobatur, quæcumque Deus producit, amat; tantùmque amat, quantùm habent bonitatis:
1 Produxit autem omnia corpora, tùm non viuentia, vt ſunt cœleſtia, elementaria, ſimplicia, mixta, tùm viuentia, & vitam vegetatiuam, & brutalem; eadem amat, & ſeruat, at non amat ea propter ſe, quià in ijs ſolis non obtinet finem per omnia intentum, qui eſt gloria, ſeù manifeſtatio ſuæ potentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis; ergo amantur pro-

propter hominem, cuius eſt proprium glorificare ex entibus corporeis primam cauſam; Ergo amor productiuus corporum, & conſeruatiuus intrinſecè refertur ad viuens ex anima rationali, & corpore organico compoſitum; Ergo quandiù durabunt corpora naturalitèr, etiam durabit homo naturaliter; Ergo dum abſoluetur hæc hominum mortalium generatio, & omnes homines mortui erunt, reproducentur ex natura omnium corporeorum, & quidem iuxta animarum diſpoſitionem moralem, quæ diſpoſitio eſt etiam naturalis, nam & mores tàm actuales, quàm habituales habent ſuam naturam, & naturales proprietates, manentque habitus morum tùm virtuoſi, tùm vitioſi in anima ſeparata à corpore: Vndè ſapientiſſimus auctor naturæ reddet vnicuique animæ iuxtà merita, quoad vtramquè ſubſtantiam: Ergo à natura omnium aliorum corporum, ab eorum fine, & omnium auctoris amore ordinatiſſimo con-

ſtat

ſtat de æterna vita totius homi-
nis.

Probatur ſecundò, quia anima
rationalis eſt intellectiua quidem,
ſed non eodem modo, quo Ange-
li, nam Angeli non intelligunt res
ſpirituales ope ſpecierum impreſſa-
2 rum à rebus materialibus, & ſenſi-
bilibus, ſed omninò independen-
ter ab illis, alioquì non eſſent ſub-
ſtantiæ ſpirituales per ſe completæ:
aſcendere ad cognitionem entium
ſpiritualium, & primi entis ex co-
gnitione rerum ſenſibilium eſt pro-
prium animæ rationalis; Ergo eſt
in ea innata ſympathìa cum rebus
corporalibus, & cum medijs per ſe
à Deo factis ad hunc finem, qui eſt
gloria eiuſdem Dei quodammodò
expreſſa à rebus corporeis; Ergo
anima ſemper habet inclinationem
naturalem ad corpus, & ſenſibilia:
At omnis inclinatio naturalis, eſt ab
auctore naturæ; Ergo eſt prudens,
ſeu opus intelligentiæ: tale autem
non eſſet; eſt enim fatua, vitioſa-
que, ac proindè chimerica, ſeu na-
turalis,

turalis, & non naturalis ea inclinatio, quæ non poteſt ab auctore naturę vnquàm cõſequi ſuum finem, ſeù à quo naturalitèr excludetur in æternùm. Sic eſset innaturalis in anima inclinatio ad animanda plura corpora, ad exiſtendum in locis pluribus diſtantibus ſimul. Hæc poſsunt eſse de potentia abſoluta, non autem de potentia ordinaria. Inclinatio animæ naturalis ad corpus eſt effectus bonitatis, quam poteſt haurire à ſocietate cum corpore: Eſt enim pondus ad bonum, quod ſua vi magnetica eam cauſat, & inclinationes, ſeù habitus acquiſiti ab anima circa bona ſenſibilia ſequuntur animam, quia ab ea ſunt, vt efficiente, & in ea, vt ſubiecto, qualitates ab eo difficilè mobiles; Ergo remanet cum ordine naturali ad corpus in quo, & per quod ij habitus poſſunt exerceri circa ſua obiecta; Ergo & inclinatio naturalis prædicta, & habitus acquiſiti probant, ab auctore naturæ eſſe iterùm ſocianda corpora animabus.

Pro-

Probatur tertiò, quia in vnoquo-
que genere naturaliter debet dari
vnum, cui reliqua ſubordinentur:
ſic corpora imperfectiora ſeruiunt
3 perfectioribus, ſeù minùs imperfe-
ctis; Sic elementa mixtis, mixta
inanimata animatis, & inter anima-
ta locum primum habet homo:
Omnia quippè, quæ à ſapientiſſima
cauſa fiunt, ordinatiſſima ſunt; er-
go debet dari aliquod corpus, cui
reliqua corporea ſeruiant, & ſubor-
dinentur à cauſa communi: nec
enim corpora hæc ſpectabilia ſunt
propter ſubſtantias ſpirituales com-
pletas, vt ſunt Angeli; ſiquidèm
ijs non egent, eorumque actione
ad ſuum finem. Seruiunt ergo in-
telligenti corporeo, ac proinde
corpus humanum eſt primum, &
nobiliùs inter corpora; ergò magis
diligitur ab auctore naturæ; eſt enim
inſtrumentum viuum coniunctum
formæ infinitiès nobilioris omni
corpore poſſibili, & anima rectè
diſpoſita naturaliter præfert ſui cor-
poris tranquillam ſocietatem reli-

quis omnibus corporibus, naturaliter, in quam, hoc eſt ex inclinatione impreſſa à ſuprema natura. Et ſi anima exiſtimaret aliquod aliud corpus ſibi eſſe meliùs ſuomet organico, hanc exiſtimationem ſequeretur naturaliter maior inclinatio ad ſocietatem cum illo alio, cæteroquì à naturæ auctore in bonum eius naturale producto. Amat ergo naturaliter, æſtimatque prudenter ſuper omnia alia corporea ſuum corpus organicum. Ergo & Deus auctor eius amoris, & æſtimationis prudentis ſuper omnia alia corpora diligit corpus humanum, vt ſuper omnem aliam formam viuentem, ſociatamque corporibus amat, æſtimatque formam ſenſitiuam, & intellectiuam; Ergo quandiù exiſtent alia corpora, etiam exiſtet homo; Ergo finita hac morti obnoxia republica humana, animæ ſuis coniungendæ ſunt naturaliter corporibus, alioquì naturaliter eſſent omnia alia corpora deſtruenda, quippè ceſſante fine, fruſtrà ſeruantur media, vt-

potè

potè perpetuò iam inutilia, ac otioſa.

Probatur quartò à ſimili. Deus non poteſt velle exiſtentiam rerum
4 creatarum intelligibilium in æternùm, & excludere per æternitatem naturaliter exiſtentiam entis intelligentis creati; ſunt enim creaturæ intelligibiles eſſentialiter intentæ propter creaturam intellectiuam, cui, ſuis participatis perfectionibus gloriam puri entis manifeſtant; Ergo nec poteſt, vt auctor naturæ, velle in æternùm conſeruare mundum ſenſibilem, & nolle in æternùm exiſtere Microcoſmum, ſeù viuens ſenſitiuum intelligens; Ergò durante in æternùm horum ſpectabilium corporum mole, etiam ex neceſſitate naturæ debet homo durare; Ergo finita hac hominum corruptibili vita, eſt denuò excitandus. Itaque homo poteſt abſolutè definiri animal ęternùm, quia quod aliquo tempore anima ſeparetur à corpore, inſtar nihili eſt coram æterna ſocietate cum eodem corpore certiſſimè

futu-

futura. Excitabuntur autem corpora, vt ſupra innuimus; iuxta merita in eiſdem corporibus acquiſita, quia eſt innaturale, vt in tanta diuerſitate diſpoſitionum animarum, non ſit etiam varia corporum habitudo; ſic alio modo, docente natura, vt infra videbimus, tractamus cadauera improborum, ac proborum; illorum ignominiosè, horum honorificè corpora tractamus, plùs, minùſue, pro conditione perſonarum, & meritorum; diuerſo modo nobilium, & Principum corpora, ac rudium, viliumque perſonarum induuntur, paſcuntur, excipiuntur; Hæc vniuerſalis conſuetudo eſt indicium certum eius genij, quo auctor naturæ variè tractabit corpora in reſurrectione: Omnis enim laudabilis inclinatio naturę rationalis eſt index naturalis ſimilis, ſed puræ perfectionis in Deo, & ex natura rei debet eſſe verum, quod reddet vnicuique, prout in corpore geſſit.

Age-

Digitized by Google

A genio, moreque vniuerſali erga cadauera.

C A P. I X.

OMnium nationum ingenuarum laudabilis mos eſt honorare mortuorum hominum cadauera magis, minuſuè iuxtà meritum, & conditionem eorum, quorum fuerunt corpora viuentia: huiuſmo-
1 di mos cum ſit certè laudabilis, neceſſariò eſt honeſtus, & ſic iuxta placitum auctoris naturæ, & morum, quod eſt certa regula honeſtatis. Eſt pariter iuſtus mos vniuerſalis ignominiosè tractandi flagitioſorum corpora, & hominum de republica meritorum peſſimè, ſuſpenduntur, laniantur, beſtijs traduntur, comburuntur, & iuſtè, ſeù ita dictante primo iuſtitiæ omnis fonte Deo. Hoc porrò non fit in odium materiæ corporeæ propriè, vt per ſe patet, ſed flagitiorum, quæ anima patrauit in eo corpore.

Ergò

Ergò eſt ſenſus, & ſanè prudens omnium nationum, quod animã eſt ſuperſtes, ad quam ſpectat honor, & ignominia, nam ſolùm anima eſt capax hæc mala, aut pœnas percipiendi, & quod corpus eius remanens adhuc ad eam ſpectat, & quod actiones, quæ circa hoc cadauer exercentur, ad eam, & ordinantur, & pertinent ſaltem primò, & per ſe: nam ſi Caij, v. g. optimi Ciuis, & de Republica egregiè meriti cadauer negligatur, & ſignã honoris corpori alterius non ſpectantis ad Caium deferantur, ipſi non eſt res glorioſa, immò eſſet ridicula, vel ſtulta, ergò indicat hoc, quod corpus Caij ſpectat ad animam eiuſdem Caij: Et ſicut eſſet iniuſtiſſimum, ſi loco Seij hominis ſceleſtiſſimi, alius homo ſuſpenderetur, ita eſſet ſtultitiæ opus, ſi ignominioſa tractatio, quæ debetur cadaueri Seij, alterius hominis cadaueri exhiberetur; Ergo cadauera ſpectant adhuc propriè ad animam, & ſic neceſsè eſt exiſtere animas, & habe-

habere ſpecialem naturalem ordinem ad ſua propria corpora.

At ſi anima non eſſet iterùm, vel vnquàm ſocianda corpori, non pertinerenr magis ad animam prædicta, quàm ſi primis crepidis impenderentur, quæ habuit, dum in corpore vixit, aut ſellæ, baculo, & huiuſmodi, quibus eſt vſus homo, dùm vixit: Hoc ergo lumine naturæ conſtat de corporum reſtitutione. Et confirmatur hoc lumine naturæ certum aſſertum ab alio vniuerſali vſu, vel non vſu nationum omnium: Nam nullæ nationes erga cadauera brutorum ſuorum funebria agunt, nec ſupremos præſtant honores, nec condiunt pretioſis aromatibus, nec circa ea preces fundunt; Ergò diuerſiſſimus hic omnium ſenſus eſt index certus animæ humanæ exiſtẽtis, non autem brutalis; Et quod corpus humanum adhuc ſpectat ad animam, à qua fuit informatum, non autem cadauer equi ad formam equi, quæ vtiquè euanuit, eſtò equo viuente diù ad noſtrum commodum vſi

vſi fuerimus. Itaque conſtat de reſurrectione corporum ab euidentibus, & naturalibus hiſce omnium hominum proprietatibus circa humana corpora, vt etiam de anima ſuperſtite, & viuente, mortuo ſuo corpore.

A natura prudentis regiminis.

CAP. X.

PRobatur à natura prudentis, optimique regiminis. Princeps enim ſapiens, homini, qui pro ſua gloria, & reipublicæ bono fortiſſimè pugnauit, & per vulnera aduerſa ſanguinem fudit, defert honorem, quo anima fruitur, & commoda, quibus corpus reficiatur, ſanetur, oblectetur, & vtramque hominis partem amat, & æſtimatione præfert, natura neceſſitatem imponente, & animam, & corpus huiuſmodi hominis, quibuſcumque non habentibus dictum meritum; hoc dictamen, iudiciumque æſtimatiuum,

Digitized by Google

tiuum, & amor eſt iuxtà rectam rationem, & vniuerſale apud omnes recta ratione vtentes; Ergo eſt ab auctore morum laudabilium Deo, ergo, & in Deo; at non eſſet in Deo, atque adeò, nec in Principe creato, ſi Deus pro ſua gloria ſanguinem fundentis, & mortem appetentis, & animam naturaliter corrumperet, vt corrumpuntur animæ brutales, & rationalis animæ corpus eo modo tractaret, quo irrationabilium cadauera tractantur, de quibus hoc tantùm curamus, vt citò proiiciamus in locum remotum ab oculis, & naribus, nec quidquam aliud præſtamus.

Confirmantur prædicta à contrario, quia dictamen prædicto contrarium eſſet certè probroſum, & pernicioſum cuicumque reipublicæ iudicio cuiuſcumque ſapientis, ſcilicet nullum deferendum honorem, nullam beneuolentiam, nullamque memoriam gratam ſeruandam erga eos, qui pro bono publico, pro bono diuino, & honeſtate, bona priuata,

uata, & vitam profuderunt heroicè: Expedit tale contrarium dictamen, eſſe falſum; Ergo eſt eſſentialiter falſum, abominabileque primo enti veritatis, & virtutis ſua natura, amantiſſimo: quod vult verum, quod expedit eſſe verum, & falſum, quod expedit eſſe falſum ex ſua natura.

Ex hoc autem fit euidens, animam eſſe ſuperſtitem; alioquì tanti eſſet defuncto homini honor, cultus, & amor poſthumus, quanti eſſet equo mortuo, qui equus antequàm moriatur, non poteſt duci,
3 vel ſtimulari ad vulnera, & ad vitam amittendam pro gloria poſthuma, cuius nec capax eſt cognoſcendæ, ſed eſt proprium ſolius hominis naturaliter ferri ad gloriam poſthumam naturaliter, hoc eſt, ita volente ſapienter auctore naturę, ſeù ſtudio præueniente libertatem: quod vtrumque ſtudium naturæ, & morum auctor inuenit, impreſſit, intendit, vt homines deterreret à flagitiis, ſeù vita eidem abominabili, & ſolicitaret ad honeſtas actiones,

qua-

quarum proprietas eſt placere au-
ctori honeſtatis. Sed tale ſtudium
nequaquàm poſſet eſſe à ſapientiſſi-
mo eo auctore, ſi poſthumæ gloriæ
nullum poſſet anima fructum perci-
pere, non poſſet autem, ſi, corpo-
re moriente, ipſa quoquè in nihi-
lum euaneſceret, ſicut nec eſſet ca-
pax infamiæ poſthumæ, quia non
entis nullæ ſunt phyſicæ paſſiones.
Cum ergo ſapienter anima allicia-
tur a bono vitæ glorioſę poſthumæ,
& auerſetur vitam infamem poſthu-
mam, neceſſariò naturæ auctor ſu-
perſtitem ſeruat, & amantem cor-
poris ſui, in quo, & per quod glo-
riam promeruit: ergo naturaliter
eſt iterùm corpus viuificandum.

*A potentia merendi gloriam Cor-
poris.*

CAP. XI.

ANima rationalis poteſt mereri
gloriam ſui corporis etiam
poſt mortem à Deo: Probatur, quia

Principes creati ſe obligatos veriſſimè iudicant, vt diximus alibi, ad honoranda cadauera eorum, qui
1 fortiſſimè occubuerunt pro publico bono, & magis, magiſque, cum maiora fuere merita, hoc eſt diuturniores labores, grauiora vulnera, mors acerbior, & proindè heroicæ indicia virtutis: Miles, ne prodat Principem, ſinit ſe trucidari; Virgo, ne perdat florem virginitatis, tolerat vulnera fœda, & mortem, vxor, ne violet thori Iura, mauult in fruſta concidi. Quicumque vſum habet rationis naturali quadam vi fertur ad huiuſmodi corpora honorificè tractanda, reuerenter ea intuetur, nec ab ijs abhorret, vt ab alijs cadaueribus, pretioſa vulnera vocat, mortemque glorioſam, balſamo condimus, decorè ſepeliuntur, è vulgarium cadauerum ſocietate ſegregamus, & nefas ducimus, ea à quoquam indignè tractari, remanetque eorum memoria glorioſa; Hæc laudabilia, ac naturalia ſtudia hominum ſuperſtitum, & obli-

& obligatio prædicta ſunt ab auctore naturæ, & laudabilium morum, & indicant puram perfectionem huiuſmodi, purumque ſtudium erga heroicè pro ſua gloria morientium cadauera: Ergo anima naturaliter poteſt ſuo corpori mereri præmium dignum Deo præmiatore, qui vt non poteſt animæ conſerre ſuo
2 diuino iudicio magnum, niſi ſit æternum, quia coram ente puro infinito, omne finitum abſolutè reputatur, quaſi nihil, ergo anima, vt poteſt ſibi mereri bonum vitæ æternæ ſecundùm potentias inorganicas, poteſt etiam id ipſum quoad potentias organicas, & appetitum ſenſitiuum; ergò viuens hanc vitam corruptibilem, & vtrumque appetitum, rationalem nempè, & ſenſitiuum moderans iuxtà leges Dei, & naturæ vincens prohibitas voluptates etiam diram mortem tolerando patienter, debet naturaliter expectare vtriuſque vitam æternam; Ergo, & reſtitutionem corporis. In hac vita plurimorum corpora iu-

ſtorum fuere laniata fœdiſſimè, brutis, feriſque proiecta ad eſcam, combuſta, & eorum cineres diſperſi, alia tabo, vermibuſque conſumpta, ſine vlla memoria apud mortales; Ergò Deus reſtituet corpus, vt ſit particeps promeritę felicitatis.

Confirmatur primò, quod diximus, quia reſpublica, vel Princeps non vna tantùm hora, v. g. honorat corpus militis, de quo ſuprà, ſed
3 quandiù poteſt, vult honorificè tumulatum, & perennem extare eius, gratamqne memoriam, nec poteſt eam excutere, nec iudicium eius æſtimatiuum abijcere, etſi poſſet illud ad vitam reuocare, naturali inclinatione ductus omninò excitaret, & quidem longè glorioſius, & felicius; Ergò Deus auctor huiuſmodi iudicij, & voluntatis laudabilis eo indicat ſuum genium naturalem erga corpora iuſtorum, quod à contrario ſeuſu valet etiam de impiorum corporibus, quibus animæ impię flagitioſo eorum abuſu promeruerunt pœnam Dei iudicio grauem,

uem, vt grauis, ac lethalis fuit per appetitum ſenſitiuum contemptus Dei, grauis autem Dei iudicio eſt æterna pœna. Porrò anima felix ex dilatione reſurrectionis nullam ſentit moleſtiam, ſcit, ſe habituram ſuum corpus per æternitatem, prę qua omne tempus finitum eſt inſtar nihili. Sic filius ſciens ſe delicioſè amari à Patre, non egrè fert, ſi Pater momento neget habitum pretioſum, quem certiſſimè dabit. Deo autem non deſunt cauſæ ad differēdam, & ſimul faciendam corporum reſurrectionem.

Confirmatur ſecundò, quia Deus vult in hac vita mortali iugem hanc pugnam inter appetitum rationa-
4 lem, & ſenſitiuum, ipſeque eſt præſentiſſimus, ſcitque numerum, & qualitatem victoriarum, & amat hominem pugnantem, & vincentem, ſecundùm quod homo eſt, ſeu conflatum ex parte rationali, & ſenſitiua; Ergo Deus amat hominis ſecundùm vtramque partem fructum tot victoriarũ, quem neutra non recipit

pit in hoc curriculo vitæ corruptibilis, quod totum exigitur in pugna, & moleſtijs; Ergo in alia vita vtrique præparatum eſt præmium; ergo Deus reſtituet corpus, vt ſuam ei tribuat gloriam promeritam; Eſt enim artifex ſapiens, nec poteſt naturaliter velle, vt ſuum opus perpetuò maneat mutilum, & veluti ſemifactum, & anima cum ſit pars, natura ſua ordinem habet intrinſecum ad aliam partem eſſentialiter neceſſariam ad conſtituendum hominem; Ergo opus eſt perficiendum, vt completum ſuum benè laudet opificem. Eſt ergo certum, quod pugna inter vtrumque appetitum infert vtriuſque vitam huic ſuperſtitem, & ipſamet acceptatio mortis, quæ debet eſſe honeſta, & naturaliter eſt contra ſenſitiuæ partis inclinationem, eſt opus moleſtum, vndè præmium eſt poſt prælium omne finitum, finitur autem cum hac vita; Ergo alia vita hanc pugnacem certè conſequitur.

Confirmatur tertiò, quia animæ

ſunt

ſunt tàm potentiæ ſuperiores, ac ſpirituales, quàm inferiores, ac ſenſitiuæ; per vtraſque vitam viuit proportionatam: meretur præmium ſpiritualibus potentijs per actus earum vitales honeſtos, poteſt etiam mereri pro potentijs inferioribus vitalibus inferius; Sunt enim capaces vitæ felicis, nec poteſt vlla in contrarium afferri ratio repugnantiæ; Si verò eſt poſſibile tale meritum, eſt vtiquè virtus hìc exercita circa appetitum ſenſitiuum regendo eumdem iuxtà placitum Dei, nec enim poteſt dari aliud meritum proprium; Ergo, & animæ ſua ſeruatur, ac datur felicitas, & corpori, vt ſit completa, & integra conſtans nobiliore, & principali in intellectu, & voluntate, & minus nobili, & inferiore in potentijs vitalibus ſeruilibus, vt ſunt potentiæ ſenſitiuæ: Et cum anima ſit etiam amans naturaliter ſuarum potentiarum ſenſitiuarum, non eſſet contenta ſufficientèr, & plenè ſola felicitate ſuperiorum potentiarum.

Confirmatur quartò, quia vulne-
ra grauia, & plurima, & dira mors
tolerata pro Republica ſunt certiſſi-
mum ſignum, & euidens effectus
vehementiſſimi amoris, & ſummæ
6 æſtimationis erga rempublicam;
ergo ſunt naturaliſſimi meriti ſignũ
indubitabile; ergo ſic patiens, &
moriens meretur redamationem, &
gratitudinem ipſo facto, & natura-
liter, hoc eſt, ita obligante auctore
naturæ; Neceſſariò itaque manet
ſubiectum, fundamentum, & prin-
cipium meriti, quod eſt anima;
quia, ſi anima euanuit, nihil iam
reſtaret, cui honor deberetur, &
amor, quia pereunte cauſa meriti
perit meritum; At actionis præteri-
tæ, paſſioniſque, & mortis decoræ
proprietas eſt non ſibi, ſed ſuo prin-
cipio comparare ius honoris, amo-
ris, & æſtimationis; Ergo cum
principium fuerit homo, ſerua-
tur hominis memoria, amatur, &
æſtimatur homo, nam operationes
ſunt ſuppoſitorum, & omnia ad ho-
minem referuntur, quem in huma-

na

na imagine, & ſtatua ſeruant, cùm creatura nequeat eum mortuum alio modo facere ſibi ſenſibiliter præſentem; hic genius eſt index naturalis diuini genij ad volendum hominem glorioſè pro eo mortuum ſemper viuentem; eſt enim potens eum excitare, & eſt meritum ex parte animæ.

A virtute miſericordię.

CAP. XII.

PRobatur à naturali virtute miſericordiæ, cuius vſus eſt apud omnes nationes, & laudatur ab omnibus. Opus miſericordiæ eſt ſepelire mortuos commendabile, Deo, hominibuſquè gratum; hæc miſericordia fit animę defuncti, quia ſolùm corpus, ſi anima perijt, non
1 eſt capax miſericordiæ: Miſeria ergo eſt in anima; ergò auima viuit, dum corpus eſt mortuum, quod adhuc ad eam ſpectat, quod ſi corpus non eſſet in æternùm animæ reſti-

tuendum, nihil eſſet miſeriæ in anima; ergò non eſſet opus miſericordiæ ſepelire mortuorum corpora? Horum cadauerum accidentia, formæ partiales, & materia ſubſtantialis nullo modo exigunt ex ſe honorem tumuli: quid enim ijs prodeſſet? Aequè ſe habent, ſi non meliùs, ſi ſub aperto cœlo relinquantur: Ergo anima eſt miſera propriè ob corpus adhùc ſuum, quià ſi iam nullo modo ſuum eſt, de eo nihil ei cura eſt, vt non curat primas crepidas, quas attriuit, dum viueret in corpore, ergo remanet in anima naturaliter, & cura, & amor erga carnem ſuam, quæ ſi nunquàm redderetur, aut reddi deberet, eſſent innaturales affectus. Ergò & remanet anima miſera, & caro iterùm ſociabitur animæ ſuæ. Vndè potes etiam intelligere, quod hoc corpus indiuiduum eſt animæ reddendum, quia in hoc exercetur miſericordia, vt ſemper ad animam ſpectante. Opus hoc miſericordiæ placet Deo; ergò Deus indicat animam viuere, cui

vult

vult illud opus. Talis operis non ſunt capaces beſtiæ, quia earum anima cum ſit corrupta, non habet vllam miſeriam, nec ad eam ſpectat cadauer.

A virtutibus Theologicis, & Moralibus.

CAP. XIII.

Probatur primò, quia virtutes Theologicæ ſunt eſſentialiter poſſibiles homini, vt homo eſt; Eſt enim pura Dei perfectio poſſe creaturam rationalem etiam præceptis poſitiuis dirigere ad vltimum finem: quia qui dat Superio-
1 ribus creatis poſſe regere, & debere ſubditos legibus poſitiuis, eamdem habet in ſe poteſtatem puram: At leges poſitiuæ neceſſariò pendent à locutione libera ſuperioris; Ergo Deus poteſt liberè loqui cum creatura rationali, ac libera, & conſtituere ordinem fidei, ſpei, & caritatis ſupra naturales alias virtu-
tes,

tes, & de facto ità conſtituit; Ergò huiuſmodi virtutes cum ſint hominis, vt eſt homo, debent ei parere felicitatem, vt homo eſt: Ergò etiam ſecundùm appetitum ſenſitiuum, cuius operationes à fide, à ſpe, à caritate poſſunt, & debent regi; Ergò ſi cui corpori eſt poſſibilis felicitatis propriæ formæ participatio, eſt vtiquè corpus humanum, cum & anima rationalis poſſit, ac debeat ſemper in præparatione ſuæ voluntatis eſse prompta ad ſubeundum hìc excidium totius vitæ ſenſibilis in obſequium Dei, & diuinæ legis; Ergò Deus amans huiuſmodi ſacrificium vitæ non poteſt non amare naturaliter hominem liberè, honeſtèque perdentem vitam ſenſitiuam, & vnionem cum corpore, ne vnionem vitalem amittat cum fonte vitę omnis Deo; Ergo Deus vult ex natura rei iterum conſtruere hominem, qui pro eo honeſtiſſimè, hoc eſt, eo maximè vel volente, conſulente, aut præcipiente, deſijt eſse homo

mo, diram ſubeundo mortem, & totius vitæ ſenſitiuæ detrimentum; Naturaliter anima rationalis viuit ſenſitiuè, patitur ſenſibiliter, delectatur ſenſibiliter; ergo & obiecta ſenſibilia ſunt ei ratio ita viuendi, & ad hunc finem ſunt intenta bona, & mala ſenſibilia, vt ſcilicet anima rationalis ijs diſponatur ad vitam etiam ſecundùm ſenſitiuum appetitum felicem: Et cum remaneant poſt mortem hæc obiecta plurima ſenſibilia, exigunt hominem exiſtere, vt in eo ſuam virtutem naturalem exerceant, & per eam ſeruiant fini intento à natura.

Obijcitur; Hæc congruentia, quæ deſumitur à virtutibus Theologicis eſt ſupernaturalis: ergo non conuenit cum titulo operis, alligato rationibus naturalibus.

Reſpondetur: Hac obiectione confundi actum, & potentiam, ac ſi quis pro eodem acciperet potentiam, quam habet Rex ad donandum, & actum donandi, ſeù donum ipſum. Hæc congruentia de-

ſumitur

ſumitur à poſſibilirate virtutum Theologicarum, quæ poſſibilitas tàm paſſiua ex parte animæ ad recipiendum, quam actiua ad concurrendum non eſt quid ſupernaturale, ſed naturale, eſt enim ipſamet ſubſtantia animæ, eiuſque potentiæ: Nam ſupernaturale, vt paret ex terminis, ſeù ex vi nominis, ſupponit naturam, ſupra quam eſt, & cui infunditur, ac donatur. vulgatiſſimum eſt illud Auguſtini dictum l. de præd: ſs. Poſſe habere caritatem, natura eſt hominum, habere autem gratiæ eſt fidelium.

Poſſibilitas earum virtutum, vt dicit potentiam diuinam ad eas producendas, & infundendas, eſt naturalis perfectio Dei, cuius naturæ nihil poteſt eſſe ſupernaturale, vt per ſe manifeſtum eſt. Poſſibilitas ergò, quæ ſecundùm ſe eſt prędicatum non contingens, ſed neceſſarium, eſt prædicatum naturaliſſimum. Quod Rex poſſit ſuum ſubditum adoptare in filium, natura eſt; quod velit adoptare, &

ado-

adoptet, gratia eſt, & ſupra conditionem ſerui, ſubditiuè naturalem: quod poſſit ſubditus adoptari, natura eſt, gratia non eſt. Ex his patet, rationem ſumptam à poſſibilitate virtutum Theologicarum eſſe naturalem, & ſic conuenire titulo operis.

Probatur ſecundò, quia virtutes etiam morales verſantur etiam circa operationes appetitus ſenſitiui, eiuſque paſſiones moderantur, vt
2 temperantia, vt fortitudo, vt patet conſideranti proprios earum virtutum actus; Si virtus fons felicitatis ſe extendit ad appetitum ſenſitiuũ, vt ſubiectum, & eius operationes, vt materiam, etiam debet eſſe felicitatiua, vt poteſt, partis ſenſitiuæ, ergo ſua ei non deerit merces. Religio in corpore mortali per ſigna ſenſibilia cultum Deo exhibet, cui & placet, cui debetur, quem præcipit; ipſum enim lumen naturæ docet hominem, Auctorem totius ſuæ ſubſtantiæ ſcilicet ſpiritualis, & ſenſibilis, eſſe ſecundùm vtramque

par-

partem honorandum; Ergo vtraque pars debet recipere fructum, quem prima cauſa vtrique naturaliter amat, vtriuſque enim partis eſt ſignum Dei honorarium: Sic caput inclinamus, & humeros, ſic ſenſibiles hoſtias voluit Deus, ſic, vincendo ſenſibiles prauas delectationes, victimas Deo offerimus acceptas, neque contra Dei vllum attributum, aut placitum eſt; quod in æternum per ſenſibilia ſigna adoretur, cum non niſi ad cultum hunc ſeruentur in æternum hæc corpora cæleſtia, & elementaria; ergo erit æternus Deo cultus etiam ſenſibilis.

Confirmatur, quia expedit naturaliter, vt ſubdito non deſpoticè, ſed politicè tantùm operanti, laboranti, & patienti ſua proponatur, & decernatur merces: Appetitus ſenſitiuus eſt ſubditus modo prædicto rationi; ergo expedit naturaliter, vt ſua ei à naturæ auctore, & morum detur merces: At hic non datur, vt patet, quia eſt in iugi pugna

gna

gna vſque ad mortem pro honeſtate, ergo vltra hanc vitam eſt parata retributio, at hæc debet eſſe
3 etiam conformis excellentiæ illius, cuius placito pugnat, & gloriæ ſacrificat, qui eſt Deus; Ergo diuino modo debet præmiari, hoc eſt magno præmio, ſicut pro eodem durè hic certauit, & vicit, at coram Deo nihil eſt magnum, niſi habeat notam infinitatis; ergò debet eſſe merces æterna, & quies ſine fine: Quod expediat, vt ſupra diximus, eſt certum, nam etiam homines, in quorum proprietatibus patent puræ Dei perfectiones, ſic naturaliter afficiuntur, vt & principaliter operans remuneretur, & adiuuans, ac minùs principale, ac ſeruiens ſua mercede non priuant; ergo auctor naturæ ita etiam ſe gerit: Ipſiſmet brutis, v.g. equis inſtrumentis, & adiutoribus victoriæ ſpecialia bona conferimus, eſcam meliorem, ornatum, æſtimationemque maiorem, quam aliorum habemuſ equorum, qui non

tàm

tàm benè victoriæ ſeruierunt. Porrò natura neceſſariò facit, quod expedit, vt faciat; Ergò neceſſariò parat vitam æternam ſenſitiuo appetitui, quem anima ſubiecit rationi, & Deo, voluntate eum perpetuò ſic domandi, & ſubijciendi; Ergò homo vſque ad mortem appetitum Deo ſacrificans in ęternam eius gloriam viuet iterùm, & pacificè fruetur mercede debita.

A fine naturali ſenſibilium, & ab excellentia naturæ humanæ.

CAP. XIV.

DEus nihil poteſt producere, niſi ad ſuam gloriam, ſeù ad manifeſtandam ſuam bonitatem, potentiam, ſapientiam; ergo non poteſt quidquam producere, niſi in ordine ad creaturam intellectinam: quia nulla creatura prorsùs materialis eſt capax glorificandi formaliter Deum, nec vlla opera-
1 tio vitalis intra ſphæram ſenſibilem po-

poteſt eſſe cognitio, amor, cultuſque formalis Dei; Ergo non potuit auctor naturæ producere creaturam irrationalem, vt ſupremam vniuerſi totius: Artifex non operatur, vt artifex, niſi vt exprimat ſuam virtutem in ſuo opificio, & vt per illud, cui dat eſſe reale recipiat intentionale, ſcilicet cognoſci, & laudari. Hoc enim eſt proprium bonitatis ſe communicare, & propagare ſuam ſpeciem, formam, perfectionem, & hoc eſt quid eſſentiale cuique bonitati; Ergò cum Deus ſit ſummum bonum, habet hanc perfectionem, ſed puram: vult autem neceſſitate naturæ, vt omnia ſeruiant gloriæ ſuæ per propriæ bonitatis participatæ cooperationem, & operationes tali naturæ limitatæ conuenientes. Vult v.g. vt Sol hic ſpectabilis ſua luce manifeſtet primi puri Solis puram lucem, & infinitam, at non vt manifeſtet per cantum harmonicum; Sic vult glorificari à Philomela; Ergo vult exiſtere animal ſenſitiuũ, & in-

& intellectiuum, vt Sol, vt Philomela, vt quodcumque ſenſibile ſapienter ſeruetur,

Confirmatur, quia eſſet fatuus pictor, non prudens, qui tabulas affabrè pingeret pro muſcis, & canibus &c. quia non poſſunt bruta
2 ex ijs viſis cognoſcere, iudicare, laudare, admirari virtutem, Pictoris, qui nec ſibi pingit, ſed alijs viuentibus, ſentientibus, intelligentibus; Ergo ſupremus ille opifex vniuerſalis ſua ſenſibilia opera non ſibi facit, quaſi ipſe poſſit ab ijs perfici, ſed alijs facit, vt perficiantur; Ergo ea facit propter hominem, hoc eſt viuens ſenſitiuum intellectiuum, ſeù ex rerum ſenſibilium ſpeciebus, quaſi ſeminibus prolem Deo acceptam concipientem, & parientem, quod eſt gloria. Et ſicut in Deo nihil eſt melius notitia, & amore adæquante ſuum meritum infinitum, cum ideò ſit formaliter beatus, ita in creatura nihil poteſt eſſe diuinius, cognitione, & amore, cultuque diuini entis.

Cum

Cum ergo huic diuino opificio omnia ſenſibilia ſeruiant in anima rationali tantùm vnita corpori organico, omnia quamdiù exiſtent ex ſua naturali proprietate exigent hominem exiſtere: ſunt ergò mirè, & verè connexa ſenſibilia, & ſpiritualia, & ab eadem cauſa, & ad eandem: Sicut enim effectus om-
3 nis ſpectat ad cauſam adæquatam, ità, & omnium effectuum ordo, & vnio. Anima autem cum ſit forma libera, & veluti Domina, ſuper omnia merè ſenſibilia, nequaquàm poteſt in omni ſua operatione pendere à rebus materialibus, cum & omnibus illis poſſit vti honeſtè, vel inhoneſtè, v.g. ſole ad cognoſcendum, & adorandum purum Solem, primumque, vel ad execrandum ſcelus Idololatriæ: ijs autem actibus veluti vinculis anima magis vnitur primæ cauſæ vel vt felicitanti, vel vt punienti iuxtà numerum, & qualitatem eorum; ergo anima ſic vnita primo, puroquè enti eſt ſuper omnia materialia incapacia

talium

talium vinculorum ſeruabilis; Ergo ab ijs non pendet in omni ſua operatione: ergò nec abſolutè pendet in eſſendo.

Omnia itaque ſenſibilia ſunt penitùs ſeruilia animæ, totamque ſuam appetibilitatem habent in ordine ad animam, vt intellectiuam; ergò omnia volunt eius conſeruationem, & odio innato habent ęternam eius organici corporis deſtructionem: Etſi non redderetur corpus animabus, ea deſtruerentur naturaliter, quia ceſſante fine, media deſpiciuntur, & ſunt otioſa, natura autem nihil vult otioſum.

Confirmatur primò hæc doctrina, quia Deus vult, vt naturæ ſuperiores, & perfectiores ſint bonæ in-
4 ferioribus, & minùs perfectis, ſic ipſe eſt optimus creaturis, Angeli hominibus, cœli rebus infra cœlum iacentibus, fortior debili, indocto doctior. At nullo modo vult eius ordinatiſſima ſapientia, vt in poteſtate naturæ penitùs infe-

rioris

rioris, mereque ſeruilis, & habentis rationem puri medij ſit exiſtentia naturæ perfectioris, ac diuinioris, & habentis præ illa rationem finis cui, vt per ſe clarum eſt. Ergò cum natura humana ſit melior omni natura non intellectiua, debet eſſentialiter eſſe dignior conſeruatione ſuper omnia corpora tùm corruptibilia, tùm incorruptibilia, quæ & in homine tantùm per ſuam virtutem ſenſibilem cooperantur gloriæ Dei: Ergo hominis æterna conſeruatio, ſeù eius reſurrectio eſt à natura debita omnibus corporibus incorruptibilibus, & ſapientiæ, amorique ſuo ordinatiſſimo, quod ſi non eſſent homines, animaque, deficeret, omnia corpora naturaliter deficerent: quare eius vnio cum corpore organico eſt penitùs neceſſaria ad conſeruandam hanc molem corporum ſenſibilium.

Confirmatur ſecundò, quia debent negligi media, vt ſupra diximus, quandò nullus eſt finis, nam

nulla eſt ampliùs eorum vtilitas, ac proindè ſunt iam media, & non media:
5 Eſt autem axioma, quod Deus, & natura nihil faciunt fruſtra, nihil volunt otioſum: Sicut in ente puro Deo nihil eſt otioſum, nihil fruſtrà, omnes eius perfectiones beant eius intellectum, & voluntatem; At nihil minùs otioſum, vel vt meliùs dicamus, nihil magis actiuum, quàm quod facit beatum. Omnia creata participant diuinas perfectiones ad beatificãdam creaturam intellectiuam factam ad imaginem Dei, & participatiuè Deum, ergo nihil creatum poteſt eſſe otioſum: At ſi per æternitatem ſolæ animæ ſeruentur, omnia ſenſibilia eſſent otioſa, & ſic naturaliter indigna conſeruatione; ergo voluntas Dei productiua, & conſeruatiua corporum eſt neceſſariò connexa cum voluntate productiua, & conſeruatiua hominis, ergo quamdiù erunt ſenſibilia, erit homo.

Confirmatur tertiò, quia qui vult vocem ſignificatiuam, vult poten-

tiam

tiam vitalem percipientem ; & voces, & ſignificationem ; creaturæ omnes ſenſibiles ſunt veluti vox ſonans diuinitatem cauſæ primæ: Hęc vox ſolis, v. g. ſenſibilis in æternùm durabit, ſed non loquetur ſpiritibus purum ſolem, ergò ſolùm loquetur intelligenti per ſenſus, hoc eſt homini. Tota mundi machina eſt elogium ſui architecti, & bibliotheca indicans arcana diuinitatis; Eſt ſenſibilis ſymphonia enarrans gloriam Dei, eſt gradus, quo aſcenditur ad primam cauſam. Si nullus eſt vnquàm futurus morbus, Pharmacopola proijciet pharmaca: Eſſet ridiculus, qui vellet accenſam lucernam extinctis in perpetuùm oculis, eſſet inſipiens, qui caneret, vbi nullæ ſunt aures: Vt omne intelligibile eſt ad intellectum, ita omne ſenſibile ad potentias ſenſitiuas, ſapor ad guſtatum, ſonus ad aures, odor ad nares, & ſic de omnibus alijs. Intellectus verò humanus eſt campus, in quo omnium ſenſibilium ſemina proli

mentis ſeruiunt, theatrum, & proſcenium, vbi ſenſibilia indicant puram bonitatem communis cauſæ, non enim poſſent agere in animam, niſi eſſent ab eadem prima causa adæquata.

A natura ſigni ſenſibilis.

C A P. XV.

SIgnum eſt, quod præter ſpeciem ſui, quam ingerit, aliud facit in cognitionem venire, ſiue ſit ſignum naturale, ſeù ad placitum, ſiue ſenſibile, ſiue
1 ſpirituale: eſt autem naturale effectui omni eſſe ſignum ſuæ cauſæ; Vndè & omnis creatura eſt ſignũ ſuæ cauſæ primæ, quia ab eo eſt; Ergo & omne ens corporeum, ac ſenſibile eſt index entis incorporei, & intelligibilis, eiuſquè perfectionum: Ergò eſt neceſsè exiſtere illud ens, cui eſt ſignum, & in quo ſemen, ſpeciem, ac ſimilitudinem ſuam naturaliter ferat quodcumque ſen-

ſenſibile ſignum, vt indè, vt ex gradu tranſeat ad cognitionem primi entis omnium cauſæ, eiuſque perfectionum, & colat, admiretur, amet; cum autem ſigna ſenſibilia in ſolo homine agant, quamdiù erunt ſigna ſenſibilia, tamdiù neceſsè eſt exiſtere hominem; Ergò cum tota rerum corporearum machina ſit naturaliter indeſtruibilis, neceſsè eſt, mortuis omnibus hominibus, naturaliter reſtitui corpora animabus; Ergo reſurrectio eſt opus auctoris naturæ, ſeù naturale.

Infertur, quod nulla ſigna ſenſibilia poſſent prudenter produci, & ſeruari, quin, & intendi ſine ordine ad exiſtentiam animalis rationalis, ſeù excludendo in perpetuùm
2 potentias ſenſitiuas ſubordinatas ſua natura viuenti intellectiuo; Vndè ſoli emittenti, & emiſſuro in æternùm hanc lucem ſenſibilem naturale eſt, vt homo viuat in æternùm; alioquin deberent ceſſare eius, & omnium agentium ſenſibilium

bilium operationes, eſſentque otioſa, & ideò conſeruatione naturaliter indigna. Item cum omnia ſenſibilia ſint veluti radij diuinitatis, ſunt neceſſariò dandi oculi, in
3 quos incidant, & ſic intellectui ſeruiant ad cognoſcendam, & amandam lucem increatam cauſam omnis lucis, Ergo homo, finito hoc rerum corruptibilium ordine, iterùm naturaliter eſt reſtituendus, ſic ex ſua natura exigentibus omnibus, ac ſingulis entibus ſenſibilibus. Erit perpetua ſeminatio, & nunqnam vacabunt ſigna ſenſibilia ab exercitio producendi ſpecies, ſeu exhibendi potentijs ſenſitiuis ſuam bonitatem, quantùm poſſunt, vt ex ea glorificetur communis cauſa. Et cum in hac vita mortali ſenſibilia non ſeruiant perfectè primi entis gloriæ, nam multa imperfectè percipiuntur, ſentiunturque, aut cognoſcuntur, hoc ſignum eſt certum alterius melioris vitæ, in qua per viuens ſenſitiuum, & intellectiuum perfectè, ſeù quantum

rum poſſunt, ſeruiant gloriæ primæ cauſæ; ergo huius ſtatus imperfectio eſt ſignum alterius perfecti, atque adeò ſtimulus ad quærendam felicitatem alterius.

Lux eſt ſua natura ordinara ad ſui, aliarumque rerum, quas afficit, manifeſtationem, ergo lux ſenſibilis eſt ad ſui, & ſenſibilium
4 illuminabilium manifeſtationem; Ergo, ſi æterna erit lux ſenſibilis, æterna erunt corpora illuminabilia, & viuens ſenſitiuum, ac intellectiuum, cui ſe manifeſtent ad puram lucem cognoſcendam, amandam, colendam, & ſic tendunt ad vitam æternam animę, & corporis organici, ergo lux eſt certum argumentum docens clarè hominem eſſe animal æternùm ſimpliciter.

Ab incorruptibilitate Corporum.

CAP. XVI.

EXiſtunt corpora incorruptibilia, ſeù habentia perfectiouem

 incor-

incorruptibilitatis, vt ſuppono eſſe cæleſtia, & elementa ſecundùm ſe tota, & materia corporea eſt planè incorruptibilis. Hæc corpora ſecundùm rationem incorruptionis ſeruiunt puro enti in homine;
3 Sunt enim ſua natura ordinata ad viuens ſenſitiuum intellectiuum, & homo ex eorum incorruptibilitate cognoſcit primi entis incorruptibilitatem puram, & omnimodam immutabilitatem: incorruptibilitas autẽ intrinſeca eſt melior ipſa, quam non ipſa, ſeù perfectio pura.

Sed omnia ſenſibilia, ſiue corruptibilia, ſiue incorruptibilia ſunt à naturæ auctore intenta per ſe, & producta, vt ſeruitia hominis, ſeu mancipia naturalia, vt ſcilicet ſua quauis ſenſu, intellectuque percepta qualitate hominem inducant ad gloriam primæ communis cau-
2 ſæ; ergò exigunt hominem perpetuò exiſtere; Eſt enim contra naturam ſerui, vt ipſe ſeruetur, perpetuò excluſis Dominis, ſeù in æter-

nùm deſtructis: Ergò à ratione ſeruitutis patet de æterna hominis cōſeruatione, eiuſuè reſtitutione poſt abſolutam hanc rerum mortalium viciſſitudinem, Ergo homo eſt quidem mortalis, & corruptibilis ſecundùm quid, ſed ſimpliciter eſt immortalis, nam corrumpitur naturaliter, veluti momento, incorruptum tamen manere debet in æternùm; quod æternùm conuenit, ſimpliciter conuenit, quod autem veluti momento contingit, ſecundùm quid conuenit; Ergo præ omnibus alijs corporibus debetur humano corpori conſeruatio.

Confirmatur, quia repugnat naturali rationi, vt quod eſt ſecundùm ſe totum, & totaliter ſeruile alteri, habeat aliquam qualitatem nobilem, & per ſe appetibilem, quæ non reperiatur in Domino; ergo incorruptibilitas corporum purè ſeruilium indicat, & ſupponit incorruptionem ſimpliciter in Domino, hoc eſt homine: Dominum dico, quatenus eius bono ea addi-

xit natura. Præterea corpus huma-
3 num magis ſeruit gloriæ Dei, quàm omnia alia corpora; ergo magis amatur ab auctore naturæ; Ergo eſt naturaliter ſeruatu dignius, quàm omnia alia corpora: ſeruit enim, vt alia omnia corpora per modum obiecti ſui ſpeciem, & cognitionem in animam ingerentia, & inſuper ſeruit, vt viuum inſtrumentum ſubſtantialiter coniunctum, quod ei competit priuatiuè, quoad omnia alia corpora; Et homo magis delectatur naturaliter pulcherrimi corporis humani intuitu, & cognitione experimentali, quàm cuiuſcumque alterius corporis, & ſuum corpus æſtimatione ſapiente, ſcilicet ab auctore naturæ impreſſa, cuicumque alteri corpori incorruptibili cæleſti, elementarique, & cuicumque ſimpliciter corruptibili præfert. Ergo prima cauſa, quæ eſt eſſentialiter ſapientiſſima, omniaque ordinans ad ſuam gloriam, quæ primò, & per ſe vitalis vnio eſt intellectus, & voluntatis

luntatis tranquilla, dum ſeruabit corpora purè media, ac ſeruilia, ſeruabit hominē; Et vt decretum ſeruādi intelligibilia creata exiſtentia neceſſitate naturali trahit decretum conſeruandi creaturam intellectiuam, ita decretum ſeruandi ſenſibilia trahit decretum ſeruandi viuens ſentiens, & ex ſenſibilibus glorificatiuum puri entis, & hoc eſt animal rationale.

A corruptibilitate Corporis.

CAP. XVII.

Corporis humani corruptibilitas eſt naturalis, & ſic iuxtà placitum auctoris naturæ. Anima ſcit hanc corporis proprietatem, eique eſt materia liberæ conformitatis cum Dei voluntate, quæ conformitas eſt omnium vitalium vnionum cum Deo in vita hac nobiliſſima; at non debet, nec poteſt
1 naturaliter corrumpi ea forma, cui corruptio ipſa eſt materia vitæ diuinæ vbiquè, & ſemper, præſertim

Digitized by Google

dum, morte inſtante, corruptio actualis inſtat, nam tunc debet ſua voluntate eſſe conformis Dei placito, atquè adeò magis agglutinata fonti æternæ vitæ. Sed & corruptio, atque corruptibilitas naturalis corporis eſt eidem corpori ratio æternæ incorruptionis, nam anima, cuius vitæ interminabilis, & æternæ eſt materia, non poteſt eſſe ſecundùm omnes potentias completè felix, niſi corpori organico vnita. Vndè corpus humanum non eſſet corruptibile, & mortale, ſi non deberet eſſe incorruptum, & tranſire ad immortalitatem, cum non poſſet eſſe inſtrumentum ſubſtantialiter coniunctum animæ, & materia diuinæ vitæ, & æternæ eidem animæ, vt tamen eſt de facto, & ex natura ſua, & ipſamet corruptibilitate, & corruptione. Dixi, vitæ æternæ, quia non eſt poſſibilis vlla creatura dignior vita æterna, quàm illa, quæ viuit vitam diuinam, ſeù planè Deo conformem: Omnis alia præ hac eſt nullius, vel mini-

Digitized by Google

minimi pretij, ergo anima, & corpus ſunt ad æternam vitam ſua natura condita, & conſtat à proprietate corruptionis.

Ex his habes, quod homo in quouis externo ſenſu, immò in qualibet particula ſui corporis habet argumenta ſuæ immortalitatis.

2 Vndè pupilla oculi, tùm quà corruptibilis, tùm quà materia, & inſtrumentum animę ſubſtantialiter coniunctum eſt, quam tenetur regere iuxtà placitum primæ cauſæ, probat independentiam animæ à materia, & ſuammet æternam incorruptionem. Eſt enim animæ ſubſtantiale inſtrumentum in officina oculi, vbi operatur cum merito vitæ felicis, quare non debet excludi à conſortio felicitatis, cum fuerit ſocia vitalis meritorum; Omnia ergo hominis membra ſonant menti benè attendenti æternam vitam intellectiuam, & ſenſitiuam hominis.

Infer, eſſe ſummam eorum ſtultitiam, ac ſtupiditatem, qui non mode-

moderantur ſuum corpus, & ſenſus iuxtà regulas æternas, hæc enim ſtultitia infert æternum animæ, &
3 corpori cruciatum; Delectatio enim inhoneſta eſt notata merito æternæ fugæ, ſcimus enim numquàm licere adulterium, v.g. Ergo quodam modò habet æternitatem, & eſt velùti ſenſibile argumentum ſuæ æternæ durationis homini; Non poteſt non eſſe æternum illud viuens liberum, cui eſt euidens, ſe teneri ad reſpuendas ſine vllo limite temporis tales delectationes, etiam cum iactura totius vitæ huius ſenſibilis: Et ſicut Deus in æternùm eas prohibet, & abominatur, ſic & anima debet iudicare dignas æterna abominatione, & vitare, vt ſe intellectu, ac voluntate conformet intellectui, & voluntati diuinæ. Si autem eſt poſſibile viuens, cui debeantur æternæ delectationes ſenſibiles, illud vtique eſt, quod actu elicito honeſtiſſimo, habitùque vult, quantùm eſt ex ſe, perpetuò abſtinere ab illicitis voluptatibus

bus

bus ſenſuum, & hoc eſt homo: Et ſi cui poſſunt dari connaturaliter, vt merces, & non vt merum donum, hic eſt homo ex reuerentia, & amore numinis eligens magis ſubire quæuis ſenſibilia tormenta, & iacturam vitæ ſenſibilis, quàm liberè huiuſmodi prohibitas delectationes acceptare; Ergo homo eſt in æternùm futurus. Idem dic de volente, quantùm eſt ex ſe frui prohibitis voluptatibus in ęternum; ei enim debetur cruciatus ſenſibilis æternus, quem in cauſa, & merito eligit: qui vult antecedens, vult ſuum naturale conſequens; Ergo, qui vult delectationem ſenſibilem cum graui contemptu Dei prohibentis, vult etiam pœnam naturaliter debitam grauem in foro entis infiniti: hæc autem eſt ſolùm æterna.

Dixi ſupra num. 1. conformitatem cum prima cauſa, aut eius placito eſſe vnionem omnium nobiliſ-
4 ſimam, vndè & eſt præ omnibus digna conſeruatione æterna, cum

num-

numquàm liceat eam liberè abijcere. Vndè anima ſic vnita eſt ſua natura æternùm ſeruanda, nec eſt poſſibile vllum ens habens ius naturale ad eius ſic Deo vnitæ deſtructionem. Adde, quod vnio affectiua reuerentialis eſt finis omnis vnionis phyſicę; Vndè ea eſt omnium præſtantiſſima. Omnia bona, quæ à Deo dantur, eò naturaliter tendunt, vt homo vniatur amore, & cultu actuali, vel habituali, & nunquàm interrumpendo cum eodem Deo, & ipſa phyſica actualis dependentia mea à Deo, & qua ei vnior, vt cauſæ efficienti, & conſeruanti, eſt ſtimulus naturalis, & à Deo intentus vnicè ad affectiuam eam perennem vnionem ſecum, quam vnionem nunquam nauſeat, ſed amat ſemper: ergo nihil poteſt naturaliter deſtruere animam, & impedire hominis reſurrectionem.

Ab inclinatione, & auerſatione appetitus ſenſitiui.

CAP. XVIII.

ANima vehementer inclinat ad bona appetitus ſenſitiui, & ſic etiam eius moleſtias, & dolores auerſatur, & fugit naturaliter, hoc eſt auctore naturę, ſeù prima cauſa eam inclinationem, & auerſationem imprimente, vtiquè ſa-
1 pienter, & vt manifeſtet ſe, ſuamque aliquam puram perfectionem, quod ſcilicet poteſt naturaliter auertere in perpetuùm omnem moleſtiam ſenſibilem, & pariter dare æternam illi appetitui quietem. Anima quippè naturaliter amat perpetuò carere huiuſmodi moleſtiis, & perenni tranquillitate frui, quoad partem ſenſitiuam; Ergo auctor naturæ in ea auerſatione, & amore docet nos, vt moderemur noſtrum appetitum ſenſitiuum iuxtà leges ęternas, eiuſque placitum,

tum, cum hoc ſit illud vnum motiuum naturale, quo poteſt Deus moueri ad perfectè ſedandum appetitum ſenſitiuum, ſicut motiuum ęternis doloribus afficiendi eſt contra diuinum placitum, & legem oblectari in hac vita mortali eumdem, ergo anima naturaliter fertur ad perennem pacem, & quietem partis ſenſitiuę, ergo debet ex natura rei perpetuò vnita eſſe corpori.

Confirmatur, quia in hac vita mortali eſt acre iuge vniuerſale bellum inter appetitum rationalem & ſenſitiuum. Pars rationalis tenetur patienter ferre moleſtias ſen-
2 ſibiles, ne recedat à placito Dei, ſeù viuere ſecundùm ſe vitam Deo cõformem, negando appetitui, quod Deus manifeſtè vult, & pręcipit negare vſquè ad vltimum halitum; Ergo tandem debet finiri bellum, & pax dari vtriquè parti legitimè certanti, vt vbi fuit moleſta paſſio, ibi ſit & quies, & pax fructus naturalis victoriæ; fuit autem in appe-

appetitu ſenſitiuo moleſta pugna, maximè tempore mortis, & cum inſtat neceſſitas faciendi diuortium à vita ſenſitiua. Nulla inquietudo vitalis, nullumque bellum eſt per ſe amabile à natura ſapientiſſima, ſed eſt amabile ad pacem vitalem, & ad quietem, ergo ea pugna iugis vſquè ad mortem hanc amatur ad pacificam concordiam inter vtrumque appetitum. Nec anima ſufficienter quieſcit ſine partis ſenſitiuę quiete, quam non vult deſtructam, ſed perfectè ſubditam; Eſt enim eius proprietas eſſentialis eſſe ſenſitiuam, ſeù ex ſenſibilibus primam cauſam glorificare ſibi immediatè, vel mediatè cooperantibus vitaliter: eſt vehemens, & naturale illicium pro ſeruo non ſubdito deſpoticè, ſed politicè tantùm, vt eſt appetitus ſenſitiuus reſpectu rationalis, ſcire, quod moleſta vita ſenſibilis honeſtè acta afferet fructum vitę ęternùm tranquillę, vt alibi notaui.

Ab

Digitized by Google

Ab amore naturali ſocietatis cum corpore, & ab exigentia Vniuerſali.

CAP. XIX.

ANima amat perpetuam cum ſuo organico corpore, beneque diſpoſito ſocietatem, illo ſpoliari, vel illud corrumpi
1 naturaliter diſplicet: hic amor, & appetitus oritur à cognitione repręſentante eius ſocietatis bonitatem: Præuenit noſtram liberratem; Ergo fit à cauſa ad nos ſpectante potentiore, nobis pręſente, intelligente, & volente ad finem optimum: Hæc eſt auctor naturę; Sed amor, & appetitus naturalis tendit ad poſſeſſionem boni amati, quod eſt ſocietas cum ſuo corpore: Ergo tandem auctor naturę non poteſt negare bonum illud, quod anima, eo volente, & neceſſitatem imponente, exigit, & quod ideò ei debetur: Quod fit in nobis

bis ſiue nobis ſcilicet liberè cooperantibus, non tàm noſtrum opus eſt, quàm auctoris naturæ.

Confirmatur. Quia omne debitum dicit relationem inter debitorem,& creditorem: huius ſocietatis creditrix eſt anima. Debitor eſt Deus auctor naturæ, ergò ad Deum ſpectat ſatisfacere huic debito. Nulla porrò creatura poteſt extinguere tale debitum,creditum-
2 que, quia nullius entis ſpiritualis intereſt, animam perpetuò carere corpore. Nulla anima,nullus Angelus fit melior, aut beatior ea carentia; Immò Angeli poſſunt multa facere circa corpora oblectantia animam, vt ſenſitiuam, cum gloria numinis. Tum quia corpus organicum potuit, & debuit, & poteſt eſſe inſtrumentum actuum reuerentiæ, & amoris erga Angelos, dum v.g. homo mauult dira nece amittere huius corporis ſocietatem vitalem, comburi, in fruſtra concidi, quam contra ius naturale eoſdem Angelos contem-
ncre

nere blaſphemijs, alijſque ſenſibilibus ſignis in eos grauiter peccare, quod ſi contingat, animam tali de cauſa ſpoliari modo dicto ſocietate vitali cum ſuo corpore, naturale eſt Angelis deſiderare, eis id boni reſtitui, quod ſic amiſerunt, ſed longè felicius: quod videtur per ſe manifeſtum etiam à noſtro experimentali deſiderio in tali caſu; Ergo & Angelis omnibus, & ſingulis eſſet naturale, seù iuxtà naturalem inclinationem reddi corpus.

Sed nec vlla ſubſtantia merè corporea poteſt exigere: vt anima perpetuò careat corpore, nam omne corporeum, & ſenſibile, eſt
3 propter potentias ſentientes ſubordinatas potentiæ intellectiuæ, quæ eſt centrum vniuerſale entium omnium. Tot ergo ſunt creditores reſurrectionis corporum, quot ſunt & Angeli, & res ſenſibiles; Ergo eſſet miraculum maximum, & perpetuum, ſi numquam redderentur corpora, & ſic miraculum chimericum.

ricum. Eſſet ea carentia perpetua contra genium auctoris naturæ, Angelorum, animarum, & omnium ſenſibilium, quæ deberent deſtrui naturaliter, ſi nullum eſſet viuens ſenſitiuum intellectiuum; Nimis ridiculus eſſet, qui vellet lucernam accenſam, ſi nulli vnquam exiſterent oculi; Ergo ſi nulli eſſent oculi ſenſitiui vmquam, Sol hic, & omnia lucida, & colorata deſtruerentur. Vt quid conſeruare in æternùm corpora recreatiua ſenſitiuarum potentiarum, ſi nullæ extarent potentiæ vitales ſenſitiuæ? Eſſent omnes ſenſibiles virtutes otioſæ; Ergò indignę conſeruatu. Item in hac vita oblectant, ſed cum mixtura fellis, vndè docent, non eſſe hìc ſtatum vltimò à natura intentum. Idem dic de ſenſibili vi cruciatiua, exercenda in abutentes hìc corporum vi oblectatiua cum contemptu æternæ legis, & primæ cauſæ. Veh impudicis, ſed de hoc alibi dixi.

Ab amore, ab obligatione, à timore erga vitam ſenſitiuam.

CAP. XX.

OMnes homines vſum rationis aſſequti naturaliter amant hanc vitam corporalem, & ſeuſibilem; nihil experientia certius. Item homo naturali pręcepto obligatur ad eam conſeruandam, nec poteſt vnquam ſibi licitè ſuo arbitratu eam adimere, & ſicut eſt in-
1 trinſecè malum, alterum priuata auctoritate occidere, ita & ſe met multò magis, quia caritas primò ſuo debetur ſubiecto; Nemo poteſt licitè diſponere dc re alteri ſubiecta, Domino eius non danter facultatem: Pariter cum homo euidenter ſciat, ſe non eſse à ſe, ſed ab alio, vt cauſa adæquata, & ab eo penitùs ſemper ſe pendere, inde etiam ſcit, ſe, vitamquè ſuam eſſe ſub pleniſſimo eius dominio, ac proindè ſe non poſſe ſuo arbitratu ſibi

ſibi præſcribere tempus, & terminum vitæ moralis, & meritoriæ, ſed hoc ſpectare ad primam regulam, & finem vltimum omnium. Tunc ſolùm debet ſubire ſpolium vitæ ſenſibilis, quandò canſa prima vult nos ea ſpoliare, vel per cauſas naturales, vel per liberas, cuius voluntati ſe reuerenter ſubijciendo viuit vitam honeſtiſſimam, & meritoriam melioris vitæ apud auctorem naturæ, & morum prudentiſſimum; Ergo anima tenetur amare, & conſeruare vitam ſenſitiuam, & ſeparata à corpore non amittit potentiam, & amaudi habitum contractum, & ſic remanet in omnibus animabus naturalis amor erga corpus, & vitam ſenſitiuam, qui amor eſt pondus naturale ad corpus ſuum, & veluti petitio rei appetitæ, ideſt ſocietatis cum eodem corpore: At non poteſt eſſe æterna petitio ſapiens, & in æternùm excludi petitorem à re petita ab eo, qui eſt auctor eius petitionis, habetque in ſua manu facilimè dare;

F ergò

ergò prima cauſa obligans ad amorem conſeruatiuum propriæ vitæ ſenſitiuæ, & ſub graui ſcelere, ac pœna prohibens eam adimere ſibi, vult vtriuſque partis vnionem eſſe naturalem, nec anima ſeparata poteſt naturaliter carere ea inclinatione ad vnionem cum corpore; cum nec ſit inhoneſtum liberè petere à Deo reſurrectionem, nec malum, ſeu vitium naturæ propendere ad ſocietatem vitalem cum corpore organico. Ergo Deus reddens corpora animabus fungitur officio auctoris naturæ, cuius omne opus, vt eſt prædicta obligatio, & inclinatio, eſt opus intelligentiæ.

Voluit pariter auctor naturæ eſſe in nobis timorem,& auerſationem, alioſque affectus circa hanc corporis & vitam, & mortem, ſed obligauit ad eos moderandos iuxtà
2 rectam rationem, eiuſque placitum; Ergo obligauit ad viuendam ex ijs vitam ſpiritualem, & diuinam. Impreſſit etiam amorem vehementem vitæ ſenſibilis; Ergò docet

docet nos vitam ſenſibilem, vtpotè naturalem animæ fore reſtituendã; Si enim perpetua debet eſſe corporis iactura, & carentia, & naturaliter quidem, vt quid imprimeretur tàm vehemens amor conuiuendi ſemper cum ſocio momentaneo? Profectò in hoc noſtro naturali amore auctor naturæ oſtendit ſuam voluntatem reſtituendi corpus. At Dei volunrati naturali, quam indicat in noſtris affectibus præuenientibus libertatem omnia ſunt naturaliſſimè debita; ergò totus homo eſt in æternùm reſtituendus.

At inquies. *Mors ſtupebit, & natura, cum reſurget creatura, iudicanti reſponſura?* Quis ſtupor, ſi erit opus naturale?

Reſpondetur primò; ibi eſſe locutionem metaphoricam, nam mors propriè non eſt ſtuporis capax, cum ſit mera carentia. Secundò; quia etiam ſtupemus, cum nouum aliquod, vel naturæ, vel artis numquàm viſum intuemur;

Tertiò; ſtupor erit, quia tunc intuitiuè experiemur, quod tantùm abſtractiuè cognouimus. Et primus homo obſtupuit videns hanc rerum molem ordinatiſſimam, quæ tamen eius naturæ erat conſentanea: Vnuſquiſque experitur alios eſſe effectus experimentalis cognitionis, alios abſtractiuæ. Erunt ſtupendi motiua modus reſurrectionis, quæ fiet iuſſu Dei, Tuba Angelorum, fiet momento, fiet omnium tota ſimul, fiet cum ingenti corporum varietate bonorum, ac malorum, fiet ad irreuocabilem ſeintentiam æternæ vel vitæ, vel mortis, apparebunt abſcondtta hominum merita, ac demerita, fiet à Chriſto Domino Deo, & homine etiam vt gratię auctore. Et ſic ſunt intelligendi Patres mirificè loquentes de reſurrectione, vt myſterio, & opere ſupernaturali; Eritque maxima rerum mutatio ob ordinem ſupernaturalem, ad quem eſt eleuatus homo.

Solui-

Digitized by Google

oluitur obiectio ſumpta ab axiomate Philoſophico.

CAP. XXI.

NAturali corporum reſurrectioni non obſtat illa vulgaris aſſertio Philoſophi. *A priuatione ad habitum non datur regreſſus*; Ergo corpus mortuum non poteſt naturaliter viuificari. Reſpondetur enim diſtinguendo: A priuatione formæ corruptæ concedo, à priuatione formæ non corruptæ; nego, immò in noſtra hac quæſtione datur tantùm priuatio vnionis formæ, nam abſolutè forma permanet, & viuit cum ordine intrinſeco ad corpus, ſed diſpoſitum ad operationes vitales materiales ab eo, & ab anima vnita pendentes; Ergò auctor naturæ habet in anima ſufficiens motiuum ad eam iterùm copulandam corpori, cuius eſt forma, illud iterùm diſponendo, quod facere

ſpectat ad eius auctoritatem, cum homo ſit viuens liberum vni Deo debens ſuam libertatem, & quę à libertate pendent.

Et confirmatur primò, quia non poteſt intelligi illud effatum de omni priuatione, nam pileatus deponit pileum, caputque aperit, & iterùm operit, & à priuatione pileati regreditur ad denominatio-
2 nem pileati eodem pileo: idem dic de huiuſmodi denominationibus veſtiti, penulati &c. duo ligna ex arte vnita diſſoluuntur, & iterùm vniuntur: Qui diſſoluit horologium rotale poteſt peritus artifex iterum componere. At ſolus auctor naturæ ſciuit primò diſponere, & componere partes hominis, nam eius ſolius eſt creatio materiæ, & animæ creatio, ac infuſio, quod autem eadem materia eadem forma ſubſtantiali exiſtente, iterùm & poſſit informari, & informetur, patet, quia forma canis, v.g. ſi ei aures abſcindantur, vel aliæ corporis eius organici partes viuen-

viuentes, & ab eodem cane edantur, poteſt iterùm informare eamdem materiam, quæ tranſit comeſtione in ſubſtantiam aliti; Ergò cum & materia hominis mortui exiſtat, & anima, poteſt naturæ auctor iterùm connectere, cum & talis reunitionis ſubſtantialis tot adſint rationes naturales congruæ.

Confirmatur ſecundò, quia idcircò canis mortuus, v.g. (idem dic de omni bruto,) non poteſt naturaliter à morte excitari, quia
3 huiuſmodi excitationis nullum datur motiuum naturale: forma enim eius eſt deſtructa, & nihil remanet, cuia interſit naturaliter, aut moraliter eam reproduci, & vniri iterum eidem materiæ. Et in productione indiuiduorum determinatio tota ſpectat ad libertatem primę Cauſę; Ergo non poteſt forma corrupta habere vllum ius ad reproductionem, quia quod eſt nihil, nullam habet proprietatem, aut ius, vel exigentiam. At corrupta vnione inter animam huma-

mam humanam, & corpus, eadem numero anima remanet forma viuens dicens ordinem phyſicum per omnes ſuas potentias tùm ſuperiores, tùm inferiores, vt pars naturaliter incompleta ad ſociam materiam, ſine qua vnita neceſsè eſt eſſe otioſas plures eius potentias vitales, vtpotè carentes neceſſariò inſtrumento: Et intellectus humanus eſt ſua natura factus ad cognoſcendam primam cauſam, & eius perfectiones ex rebus ſenſibilibus, & auxilio potentiarum ſentientium; Itaquè non datur à priuatione ad habitum regreſſus, quãdo non exiſtit motiuum eius reale coram prima cauſa, concedo: quando exiſtit, nego.

Confirmatur tertiò, quod diximus, quia, ſi embryo, quia eſt veluti Inſtrumentum aptum ad aliquas operationes animæ, eſt motiuum naturale Deo ad creandam, & infundendam animam; Ergò & anima exiſtens cum meritis in corpore, & per corpus acquiſitis, &

cum

4 cum potentijs incompletis eſt naturale motiuum ſufficiens Deo ad vniendam eam denuò corpori. At corporum reſurrectio tunc ſapienter fiet, quando erit completus numerus reipublicæ moralis. Poteſt Deus hodiè excitare omnia mortuorum corpora, ſed ſecluſis priuilegijs, congruit, vt fiat ſimul omnium, nam debet finiri commune bellum huius vitæ, vt communis inſtituatur triumphus, qui non agitur ab Imperatore, quamdiù adhuc milites ſubditi decertant, & alij ſuccumbunt. & alij vincunt.

Ab axiomate idem, in quantum idem &c. probatur reſurrectio corporum.

CAP. XXII.

I*Dem in quantum idem, ſemper facit idem*; eſt axioma vniuerſale, & inductione certum, & euidens, & in naturalibus, ac moralibus. Auctor naturæ finita hac mor-

tali naturæ humanæ Republica, habet idem motiuum reproducendi
1 hominem, quod habuit in prima productione; Ergò vt auctor naturæ debet eum reproducere. Motiuum naturale fuit mundus hic corporeus factus ad gloriam ſui Conditoris, cui ſeruiunt per ſuas naturales proprietates, & operationes, & accidentia; quod non obtinent, niſi per viuens ſenſitiuum, & intellectiuum, ex ſenſibilium cooperatione, & veluti ſeruitute naturali; ergo cum remaneat mundus corporeus cæleſtis, & elementaris; remanet idem motiuum auctori naturæ: & ſi corpora erunt perfectiora in æternum, exigent magis exiſtentiam hominum, vt per maiorem eam perfectionem magis glorificent primam cauſam: hoc enim ſpectat naturæ auctor in ea maiore perfectione ſenſibili: corpora autem ſi poſſent loqui, non peterent noui hominis productionem, ſed eorum reproductionem, per quos ſeruierunt primæ cauſæ in ſtatu

mor-

Digitized by Google

mortalitatis, vt cuius fuit labor meritorius circa corporalia, eius ſit præmium ex corporalibus; quod valet à pari, & in contrario in ordine ad pœnas ſenſibiles in ijs, qui ſunt inhoneſtè vſi rebus corporalibus, ſeu contra legem communis cauſæ.

2. Sed vltra motiuum vniuerſale primæ productionis habet auctor naturę alia pro ſecũda productione, ſcilicet merita & demerita moralia propria hominis, vt homo eſt, nec enim sũt metaphoricè, ſed propriæ operationes hominis · ſi quod autem viuens ſenſitiuum eſt poſſibile, quod viuat ſenſitiuè in æternum, non poteſt eſſe, niſi illud viuens, quod per ſenſibilia glorificat primam cauſam, honeſtè eis vtendo iuxta eorum finem naturaliſſimum: quandiù ergo ſol, & aſtra lucebunt, & ſenſibilis mundus manebit, ſtabit, & homo; qui eſt finis, cuius gratia omnia ſenſibilia sũt cõdita; & quemadmodum, vt alibi dixi, repugnat dari perpetuò intelligibi-

 le,

le, & non dari perpetuò intelligens, ita & dari perpetuò ſenſibile, & non dari in æternum viuens ſenſitiuum: eſt enim eadem ratio; ceſſabunt corruptiuæ qualitates, & creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, eritque ſtabilis filiorum Dei tranquillitas, & impiorum infelicitas, qui ſuo abuſu veluti coegerunt contra innatum creaturarum appetitum eorum ſeruire peccato: & qui creaturarum vim cruciatiuam ſenſibilem nõ timuerunt, eam in ęternùm experiantur in pœnã prohibitæ delectationis ſenſibilis, nam ad eum finẽ illam habent.

At quia peccator propriè peccat contemptu diuinæ bonitatis, eadem debet eſſe maximè cruciatiua, vndè dicitur ea pœna eſſe pœna damni antonomaſticè, & eſt omniũ poſſibilium ex ſuo genere maxima, & acerbiſſima, quia reſpondet malitiæ formali, (ſcilicet neglectui diuinæ bonitatis) quæ eſt ſummũ malum, malũ morale, & Theologicũ, vt aiunt.

A

A Ratione Partis.

CAP. XXIII.

ANima rationalis eſt pars ho-
minis nobilior, ſentiens, in-
telligens, forma naturaliter infor-
mans corpus; non eſt in corpo-
re, vt auriga in curru, quia auriga
non viuit per currum, vt vitæ com-
1 principium; at anima viuit in cor-
pore, vt ſocio vitali cum eo con-
ſtituens hominem beatificabilem
ſecundùm vtramque partem, intel-
lectiuam nempè, & ſenſitiuam:
nam homo eſt capax felicis vitæ
ſecundùm vtrumque appetitum,
nam ſecundum vtrumque naturali-
ter quietem deſiderat, & mereri
eam poteſt.

Illud ens reale, & ſubſtantiale, quod auctore naturæ non amatur, vt totum, & vt completum ens; amatur, vt pars, & incompletum, ergo amatur in ordine ad aliud, cum quo conſtituat illud totum,

cuius eſt pars; ergo, nè amor huiuſ-
2 modi ſit perpetuò vanus; anima eſt corpori reddenda, vt ſit opus perfectum, iuxta amorem eum Primæ Cauſæ, ſeu non ſit imperfectum perpetuò. Anima ſola non poteſt exercere omnes ſuas potentias, earumque actus, videlicet ſenſibiles, ea eſt ſubſtantia completa, quæ alia ſibi vnita non eget, vt exerceat ſuas potentias vitales, ad finem per eas intentum à prima Cauſa. Sic Angelus eſt ſubſtantia completa, quia ad exercendas tres ſuas vitales potentias intellectum, memoriam, & voluntatem ſufficit ipſe cum rerum ſpeciebus à prima cauſa acceptis. Porrò non excluditur aliquid ab ordine naturali, eò quod fiat à ſolo Deo; nam anima rationalis, diſpoſita materia, à ſolo Deo naturaliter creatur, & infunditur; ergo, eſtò mortuorum reſurrectio fit à ſolo Deo, non ideò erit innaturalis, ſed naturalis, ne opificis ſapientiſſimi opus ſit perpetuò imperfectum, & ſemifactum, quod naturæ repugnat,

nec

nec anima eſſet vnquam ſimpliciter pars hominis ſubſtantialis, ſi momento hominem conſtituat, & in æternùm ipſa ſola maneat, ac viuat.

Sicuti ergo, parata phyſicè materia, Deus ſolus creat, infunditque animam, ita paratis moraliter ani-
3 mabus reddetur eis corpus nutu ſpeciali Dei. In prima productione hominis corpus fit cooperantibus parentibus, at nullo modo anima fit ab eis: tunc corpus diſpoſitum præſupponitur creationi animæ, at in ſecunda productione anima præexiſtit corpori reformando, & reſtituendo. Omnes animæ ſeparatæ ità demùm exigunt reſtitutionem corporum, vt olim in prima productione res omnes corporeæ ante hominem productæ naturaliter exegerunt hominis productionem. Tota moles rerum ſenſibilium in principio mundi exegit hominem naturaliter: in fine huius mortalis Reipublicæ totus animarum exiſtentium cumulus, & corpo-

porum per æternitatem futurorum naturaliter exigent reſtitutionem corporum organicorum, ſeù hominis reſtitutionem, ergo erit reſurrectio hominum naturaliter debita, licet de facto inuoluat ordinem ſupernaturalem.

Reproductio hominis eſt magis naturalis, quàm prima productio.

CAP. XXIV.

PRobatur, quia hæc fuit ex motiuo præexiſtentis totius molis corporeæ, quæ ſuum finem naturalem ſuis operationibus obtinet tantùm in homine: amantur enim à Deo omnia ſenſibilia propter hominem, vt finem, cuius gratia, & vt ſint ei media, & gradus, quibus aſcendat mente ad primã om-
1 nium communem cauſam cognoſcendam, & colendam. At reproductio hominis finito hoc corruptibili mundo, non ſolùm debetur ex dicto motiuo, ſed etiam ex alio, ſci-

ſcilicet, ex natura animæ rationalis exiſtentis, cuius corpus organicum eſt debitum, vt ſocius ſubſtantialiter olim vnitus ad vltimum finem, in quo, & per quod multa fecit, multa paſſa eſt conducentia ad finem illum, vel ab eo abducentia, & meritoria excluſionis à ſtatu felicitatis. Porrò duplex motiuum naturale eſt euidentia Mathematica plusquàm vnum; ergo reproductio eſt magis naturalis, quàm prima productio.

Confirmatnr primò; quia in prima cuiuſque hominis productione anima naturaliter creatur, & infunditur corpori, hoc eſt in tantillam embryonis materiam, diſpoſitam tamen ad aliquam operationem naturalem animæ rationalis,
2 eſtò valdè imperfectam. At maiorem proportionem habet anima exiſten s ad ſuum corpus iterum habendum, quàm habuerit embryo ad creationem animæ, & ſubſtantialem cum ea vnionem. Nam anima in corpore multa, vt diximus,

mus, fecit, & paſſa eſt in ordine ad vltimum finem, & poterit per æternitarem habere cum eo plurimas operationes vitales ſenſibiles, glorioſas communi omnium cauſæ; eſt & reproductio hominis magis conueniens reliquis corporibus, & rebus ſenſibilibus, nã hæ in vita hominis corruptibili ſeruierunt medijs, ſeu meritis ad felicitatem diſponentibus hominem, at in alia vita ſeruient ipſimet felicitati: ergo erit naturaliter illis reproductio, quam prima productio: in ea vita oblectant, felicitantque appetitum ſenſitiuum, & animam in eo, in quo multas ſenſibiles moleſtias honeſtè tolerauit, & honeſtis actionibus primam cauſam glorificauit. Eſt autem magis attendendus finis, quàm media, nec debet excludi à participatione finis id, quod ſua virtute adiuuit, & promouit ad eum, vt per ſe patet; porrò naturaliter eſt, & fit non tantùm, quod fit à cauſis ſecundis virtute earum actiua, quomodo Sol producit lucem;

Digitized by Google

cem, ego meam viſionem, & motum, ſed etiam, quod ſit à prima cauſa tantummodò agente, dummodò præexiſtat motiuum naturale, ſeù exigens ſua natura talem primæ Cauſæ actionem, vt contingit in creatione animæ, & in productione primi hominis; vtraque, vt alibi diximus, à ſolo Deo eſt, ſed naturaliter.

Confirmatur ſecundò; quia ſi reſurrectio hominis eſſet à Deo, non vt auctore naturæ, ſed Domino, & non ex motiuo naturali præcedente,
3 Deus ita procederet in reproductione hominis, vt ſe habuit in prima productione ſpiritualis, corporeique mundi, vtrumque enim produxit ex mera ſua libertate, & pura benignitate, ac congruentia ſe tenente ex parte ſolius infinitæ bonitatis: at hoc eſt euidenter falſum, nam ad reſurrectionem corporis organici prçexiſtit forma eius naturalis, & ſua natura humanæ conſtitutiua ſpeciei, & exigentia omnium corporum, rerumque ſenſibi-

Digitized by Google

ſibilium; ergo reſurrectio ſpectat ad Deum, vt naturæ auctorem.

Nullis autem in hac re negotiũ faceſſat vox congruentiæ, nam, vt alibi diximus, congruentia alia deſumitur ex diuinis perfectionibns ſecundùm ſe attentis; alia ex meritò præexiſtente ex parte creaturæ. Primo modo dicuntur congruentia ea, quæ Deus facit, vt Dominus naturæ, vt auctor Gratiæ, ſeu attendens ſuam puram bonitatem,
4 ac liberalitatem. Sic Rex bonus eſt liberalis, & congruè exercet ſuam liberalitatem, at implicat, liberalitatis exercitium eſſe debitum. Secundò modò fiunt congruè, quæ fiunt ex merito rei præexiſtentis. Rex nõ dat præmia, nec infert pœnas ex ſuo mero arbitrio, ſed ex meritis, ac demeritis, tam naturaliter enim merito debetur merces, & demerito pœna, vt ſoli debetur lux. Non poteſt Iudex, vt Iudex, remittere pœnam; ſi remittat, mera gratia eſt.

Sed obijcies. Sæpè dictum eſt,

non

non potuiſſe naturaliter produci hunc mundũ ſenſibilem, niſi etiam homo produceretur: at homo productus fuit tantùm die ſexta huius ſpectabilis Mundi; ergo poteſt exiſtere ſapienter mundus corporeus ſine homine, quod repugnat noſtræ rationi.

5 Reſpondetur. Poteſt exiſtere naturaliter mundus nondùm completus ſine homine, tranſeat; mundus completus, nego: Omnis præcedentium dierum operatio ordinabatur ad hominẽ, vndè completis alijs materialibus omnibus produxit hominem. Sapiens Architectus priùs domum abſoluit, tùm in eã introducit habitatorem. Produxit Deus, & perfecit, ornauitque corpora, tùm, vt in ampliſſimam domum dignam tanto opifice, & congruam tanto incolæ, hominem factum induxit, & ſic requieuit ab omni opere, quod patrarat. Antequàm hominem Deus produceret, vidit reliqua omnia eſſe bona: at facto homine, vidit omnia eſſe

val-

valdè bona: quia illa erant purè intenta propter hominem, & homo intentus, vt finis, cuius gratia omnia ſenſibilia exiſtunt; bona ſunt media, quæ opifex Deus fecit, at finis cui, & cuius gratia melior, & ſuper alia bonus homo.

Sicut nondum completo hoc mundo materiali non fuit productus, nec debuit homo produci, ſic nondùm completo morali, homo
6 non debet reproduci. Reſpublica corporalis tota eſt ad moralem, & hæc eſt genus humanum. Nondum requieſcit Deus ab omni opere morali, & ordinato ad ſtatum permanentem, ſed requieſcet, completo numero ſaluandorũ, vt ſimul incipiat perfecta reſpublica felix. Illa molitio mundi corporei ſpatio ſex dierum completa eſt; molitio mundi moralis durat per ſæcula. At conſtitutio mundi felicis debet eſſe æterna, alioqui non eſſet felicitas perfecta, nec digna tanto infiniti entis molimine, ac ſapientia; quidquid habet finem præ infini-

ni-

Digitized by Google

nito nihil eſt; ergo infinitum bonum aliquod debuit diuina ſpectare ſapientia, hoc non poteſt eſſe, niſi æterna Dei beatitudo participanda creaturis intellectiuis.

Quæres, an ſit naturaliter neceſſarium, vt animæ reddatur hoc corpus, quod in vita mortali informauit?

7 Reſpõdeo primò, Poſſe Deum, vt Dominũ naturæ reddere aliud, non enim id implicat, vt eſt certum. Reſpondeo. Non poſſe, vt eſt auctor naturæ, ſed debere reddere illud, quod informauit: eſſet inſanus Princeps, qui loco corporis militis, qui occubuit pro eius gloria, aliud corpus honoraret, & pompa funebri decoraret, aut qui loco corporis hominis flagitioſiſſimi, quod Iudex habet præſens, aliud ſubſtitueret infruſta cędendum. Immò cum non poteſt proprium haberi, ſolent Iudices ſubſtituere aliud ſimulacrum expreſſiuum veri corporis, vt oſtendant, quid facerent in vero corpore,

quod

Digitized by Google

quod præſtant in eius ſigno. At hic genius creati Principis, & Iudicis, qui eſt perfectio, indicat eſſentialiter puram huiuſmodi perfectionem, & proprietatem in auctore naturæ; ergo huius corporis excitatio erit iuxta naturam; nec poteſt aliud eius loco naturaliter reſtitui.

A naturali inclinatione, à gratitudine, & prudentia.

CAP. XXV.

OBligationem, & inclinationem naturaliter ſentiremus in nobis, ſi poſſemus, ad reddendam vitam illi, qui ex amore erga nos eam amiſit præſertim diros inter cruciatus, & quidem amor, & grati-
1 tudo nos vrgeret ad reddendam eam melioris conditionis. Quiſquis interroget ſemet hac ſuper voluntate, illicò ſibi reſpondet; reſtituerem proculdubio, ſi poſſem, & non reddere eam vitam pro me

ſacrificatam, rem indignam putarem debito amori, & gratitudini repugnantem, & prudentiæ gubernatrici; quæ dictat, & vult, vt in ijs quis bona recipiat, ſeu remunerationem, in quibus maximè pro nobis eſt paſſus. Et quis Princeps prudens non remuneretur in re familiari, & opibus eum ſubditum, qui, nè proderet, aut offenderet ſuũ Principem, fortiter tolerauit ſpolium ſuarum opum, ac facultatum? Ergo hic genius, & obligatio ad reſtituendum eſt naturalis, & melior ipſe, quam non ipſe, pura perfectio, eiuſuè participatio. Ergo cum anima rationalis liberè eligit iacturam vitæ ſenſibilis, ne Deum offendat, aut iura diuina violet, Deus naturaliſſimo ſuo genio, & pura ſua perfectione, quam demonſtrat in ſupradicto genio laudabili creaturæ intellectiuæ prudentis, vult reddere vitam amiſſam, ſed glorioſiorem: ſic decet bonitatem Principis, vt potens plus reddat, quàm ſit amiſſum pro eius amore,

 & glo-

& gloria, cum & talis reſtitutio ſit illicium potentiſſimum ad glorificandum Deum iactura honeſtiſſima omnium bonorum ſenſibilium.

Eſt ergo vita ſenſitiua naturaliter à Deo reſtituenda: nec enim illa voluntas creaturæ rationalis, quantùm eſt ex ſe prompta ad reſtituendam vitam, & bona amiſſa, eſt otioſa quædam, ac ſtulta voluntas, quia ſic velle, & talem voluntatem profiteri eſſet intrinſecè vitioſum, quod tamen eſt manifeſtè falſum, ac vituperabile iudicium, immò quiſque naturaliter iudicat eſſe vitioſum nolle reddere, vt ſupra, cum ſuppetit potentia. Eſt ergo ea voluntas, & pura perfectio in Deo, qui eſt naturaliter incapax vitij.

2 Porrò nihil eſt in rerum natura, cuia interſit tale ſtudium diuinæ voluntatis eſſe perpetuò otioſum, & numquam reduci ad actum; immo opponere ſe diuinæ voluntati, & naturali ſtudio Dei; eiuſque puræ

ræ perfectioni; vitium eſt,& culpa:
Ergo nec creaturæ ſpirituales, ſeu
Angeli poſſunt ità ſe opponere: &
3 quid eorum intereſt nõ reſtitui hominem mortuum, cum & ab homine poſſint æternùm ſignis etiam ſenſibilibus honorari? ſicut & Deo ſummus etiam honor ei debitus, ac reuerentia reddetur ſenſibilis iuxtà innatum appetitum rerum omnium ſenſibiliũ, cum & ad eam reuerentiam, & gloriam ſint ſua natura intentæ, & factæ? Adde quod excellentia naturæ Angelicæ magis emicat coram natura humana completa, quæ eſt longè inferioris perfectionis præ Angelica. Animę verò exiſtentis refert reſtitui ſocium naturalem, ac ſubſtantialem ad operationes potẽtiarum ſenſitiuarum ſibi connaturalium. Ergo reſurrectio mortuorum ſpectat ad Deum, vt naturæ auctorem.

Digitized by Google

Ab vnione ſubſtantiali inter Animam, & Corpus.

CAP. XXVI.

Corpus organicum non eſt accidentaliter vnitum animæ rationali, vt nec anima corpori, ſed ſubſtantialiter vnita ſunt, & conſtituunt vnam ſpeciem ſubſtantialem, quæ eſt homo, at id eſſet falſum, ſi ea vnione deberent perpetuò carere naturaliter, ideſt ex intentione auctoris naturæ: quod momento mihi vnitur, ſed cuius vnione perpetuò carebo, non ſpectat ſubſtantialiter ad me, ſed merè accidentaliter; ergo ſi caro eſt ſocia ſubſtantialis animæ, neceſſitate naturali eſt perpetuò copulanda animæ viuenti in æternùm, non enim perit, vt brutorum formæ, quæ tamen, quamdiù exiſtunt, ſuo corpori ſubſtantialiter vnitę viuunt. Quod verò anima intellectiua modico tempore, & veluti momento præ æter-

æternitate viuat ſine corpore, ſapientiſſimè id vult Deus ob cauſas, & bona, quæ ſunt manifeſta ſapien-pientibus, tàm ex parte diuinæ bonitatis, & iuſtitiæ, quàm ex parte humanæ naturæ defectiuæ libertatis, & regiminis politici, ſecundùm præſentem prouidentiam, debet enim poſſe irrogare ſupplicium mortis, & mors, ſeu ſeparatio animæ à corpore eſt materia virtutis etiam heroicæ.

2 Cum autem finis per ſe, & vniuerſalis omnium entiũ ſenſibilium ſit cooperari manifeſtationi diuinarum perfectionum, ſeu puri, & primi entis per ſuas operationes, & ſpecies ſenſibiles, vt ſæpè diximus, illis neceſſe fuit dari formam intellectiuam, ac ſpiritualem ſtabiliter, ſeu ſubſtantialiter vnibilem ſubſtantiæ alicui corporeæ, in qua, & per quam ille finis vniuerſaiis obtineretur permanenter; ergo iterum ſunt corpora animabus vnienda ex fine intento ex omnibus ſenſibilibus vniuerſali, & in bonum

Digitized by Google

ſtabile, & diuinum earumdem animarum; ſingulis porrò animabus ſua propria corpora reddentur, cũ ſit eadem omnium ratio, ſed cum accidentali diuerſitate, iuxta ſcilicet earum meritum, & quatenùs benè, vel malè vſæ ſunt proprio corpore, & alijs bonis, quin & malis ſenſibilibus; & ſicut creatura libera potens naturali, & laudabili inclinatione vult diuerſa præmia, & pœnas, vbi ſunt diuerſa merita, ita in hoc experimentali genio naturæ creatæ cognoſcimus diuinum genium, ad conferenda præmia etiam ſupra condignum, ad puniendum etiam, ſed clementer, & citrà condignum. Eſt enim gloria abundare in bonis, & eſſe clementem in pœnis, ſeruata tamen prudenti diſtributione, ergo corpora humana in ęternùm, vel recreabuntur ſenſibiliter, aut punientur; cum alterutrũ ſuis liberis operibus circa ſenſibilia bona, & mala promeruerint. Eſt æterna vis recreatiua, & cruciatiua; æternum debet eſſe vi-
uens

Digitized by Google

uens ſenſitiuum dignum ijs virtutibus ſubiectum, in quo ſenſibilia pœnis oſtendant iuſtitiam,& bonitatem infinitam læſi numinis æternùm, ſeu ſine fine vexando,& oblectationibus æternis eamdem bonitatem puram,quam glorificauerunt honeſto ſenſibilium vſu viuentes in corpore; vndè oportet iterùm ſubſtantialiter vniri in æternùm animas, & corpora organica.

Ab amore glorificatiuo, & à gloria formali, & obiectiua.

CAP. XXVII.

PRobatur, quia amor eſt glorificatiuus obiecti amati, quia
1 indicat eſſe in eo vim aliquam felicitandi, atque adeò aliquam perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ſeu aliquod participium diuinitatis, qui ergo nos ita amat, diuinos aliquo modo facit ſuo iudicio. At non poteſt non placere naturaliter, qui ità nos beneuolentia proſequitur;

tur; vndè eius exiſtentia acceptiſſima eſt ſua natura nobis, qui ſumus obiectum amatum; atque adeò eſt iuxtà naturaliſſimũ genium amati beneuolè conſeruatio amantis; ergo non poteſt intendi eius deſtructio, niſi amãtis exiſtentia eſſet inconiungibilis, cùm exiſtentia entis amantioris, & magis glorificatiua.

Sed nullo modo repugnat amãtiori Dei amans Deum, immò eſt iuxta eius vehementem inclinationem, vt omnia entia capacia aman-
2 di eum, ament, quantùm poſſunt, & vt eius amor extinguatur nunquam, ſed augeatur ſemper. Ergo nullus amans, nullusuè amantior Dei, & nullum ens factum, vt eſca diuini amoris, poteſt petere naturaliter, vt deſtruatur amans Deum, ſed, vt poteſt, exigit, vt ſeruetur in æternùm, cum æternum amorem mereatur Deus, qui quæcumque facit, ſtimulos vult eſſe ad eius amorem, ac proindè vitam diuinã; ergo conſeruatio hominis aman-

tis

tis, ne dum animæ intellectiuæ eſt iuxtà naturalem proprietatem omnium amantium Deum, & rerum à Deo factarum, vt ſua cognita bonitate ducant ad cognitionem, & amorem puræ bonitatis, & quæ per omnia bona oſtendit menti benè attendenti, non ſolũ animæ elicientis amorẽ, ſed totius hominis, quippè qui verè, & propriè denominatur, & eſt amãs, immortalitatẽ; ergo amor, & amãdi materia, ac motiua eius omnia ſunt indicia certa naturalis in Deo propenſionis puræ ad conſeruãdum hominem amantem in æternùm. Quod ſi veluti momento deficiat homo, cum anima perſeueret amans, ferè nihil eſt præ æterna vita totius hominis. Habet autem diuina ſapientia rationabiles cauſas ſpoliandi animã modico tempore ſua carne, cum & hoc ipſum ſpolium ſit amanti animæ materia maximæ dilectionis, & ſummæ gloriæ erga Deum; Porrò gloria Dei eſt vniuerſale intentum per omnia à Deo, ergo homo Deũ

formaliter actu, habituùe glorificans eſt obiectum Deo amabilius omni non glorificante formaliter, ſed tantùm obiectiuè, quomodò glorificant omnia entia non intellectiua; Ergo Deus mauult hominem conſeruatum glorificantem, quàm omne ens exiſtens, & potens exiſtere, ſed non capax glorificandi, &c.

3 Quod nulla creatura poſſit abſolutè, & per ſe exigere deſtructionem hominis, patet, quia omne obiectum creatum poteſt cognoſci, & amari ab homine honeſtè, iuxta menſuram bonitatis acceptæ à prima cauſa: hæc cognitio, & amor eſt gloria bonitatis amatæ inductiua, & intenta ad gloriam primæ cauſæ; ſed impoſſibile eſt, vt obiectum glorificatum tendat ad deſtructionem glorificantis: nam ad gloriam, ſeù ſuæ manifeſtationem bonitatis omnia naturaliſſimo impetu tendunt, quin & metaphyſica proprietate, ſcilicet quatenùs vera, & bona; Ergo nullum cognoſci-

Digitized by Google

ſcibile, & amabile ab homine poteſt exigere deſtructionem hominis, immò ex dicta proprietate, potiùs exigit eius exiſtẽtiam æternam; quia eſt abſolutè, & ſemper bonum, vt conſeruetur gloria Dei, & formaliter eius glorificatiuum, vt eſt verè homo ex omnibus potens, & debens glorificare primam cauſam. Implicat diuinam naturam, quæ eſt obiectum adæquatè cognitum, & amatum à Deo, & ſic infinitè glorificatum, exigere deſtructionem glorificantis; Ergo naturaliter repugnat, vt obiectum creatum glorificatum abſolutè, & in æternùm petat deſtructionem perſonæ formaliter glorificantis.

Ex his habes, quod gloria formalis, & obiectiua quæcumque, & omnia connexa ſunt veluti balſamum conſeruatiuum à morte, & corruptione tùm animæ intellectiuæ, tùm totius hominis, ſeù amorem Dei eſſe pharmacum immortalitatis animæ, & corpori.

Confirmatur à ſigno naturali

certo. In hac vita remuneratio datur homini, eſtò meritum ſit primò, & per ſe in forma libera, cuius eſt imperare laborem, & obſequium; & verè totus miles amatur à ſuo Principe, cum ſecundùm ſe totum eius gloriæ laborauerit. Hic genius Principis creati demõſtrat, à Deo redamari totum hominem, & velle eum reſtitutum in æternùm. Nihil adeò meretur reſtitutionem boni amiſſi à potente reſtituere, ac qui illud liberè voluit amiſſum in obſequium eiuſdẽ potentis; ergo anima eligens honeſtè iacturam totius vitæ ſenſibilis naturaliſſimè meretur eius reſtitutionem; ergo reſurrectio eſt iuxta naturam. Stipes eſt, qui non ſentit in ſe naturalem propenſionem, & obligationem aliquam ad reddendum, vt poſſumus, bonum pro nobis amanter amiſſum; ergo &c.

Ex his certè deducitur, quod diuina voluntas decretiua noſtræ mortis temporalis, & obligans ad eam honeſtè ſubeundam eſt etiam de-

decretiua noſtræ reſurrectionis, & quod voluntas noſtra reuerenter ſe ſubijciens tali diuinæ voluntati decretoriæ omnium ſenſibilium bonorum iacturæ eſt certa arrha reſtitutionis vitæ ſenſitiuæ; ergo reſurget aliquandò totus homo ex naturâ rei, & viuet in æternùm.

Confirmatur; Nemo habet maiorem dilectionẽ, quàm dans animam ſuam, ſeu vitam pro amico, vel dilecto. At amans amicè non poteſt velle ſe deſtructum etiam in gratiam amici ſecundùm potentiã intellectiuam, & amantem amici. Nihil tàm eſt contra naturam amicitiæ, ac deſtructio amantis amicè, poteſt autem amicus velle aliorum bonorum deſtructionem, quatenùs ea eſt maior gloria amici, & arctiùs vnit potentiam amantem amico. At nihil etiam tam ſtudioſè vult amicus amanti ſe, quàm id ei reſtitui bonum, quod in obſequium amici profudit patienter, & amanter; Ergo Deus certiſſimè vult reſtitutam vitam ſenſitiuam

ani-

animę, quæ pro eius gloria eam profudit, & quidem multò feliciorem iuxta merita; ergo homo viuet in æternùm ex vi eius amoris, & mortis electæ honeſtiſſimè. Deus verè amat hominem beneuolè tùm maximè, dum homo pro eo liberè omni bono, vitàq; ſenſibili ſe priuat, vt amicitiam diuinam conſeruet, & augeat; ergo amiſſam ad tempus vitam redamans Deus amicè hominē mortuum reſtituet, nam naturalis genius amicorum eſt velle eſſe ſimul, ac viuere alterum bono alterius; ergo amor, beneuolentia, & amicitia eſt argumentum reſurrectionis mortuorum.

Digitized by Google

Ab obligatione Principum, & à natura iuſtitiæ punitiuæ.

C A P. XXVIII.

PRincipes creati Rempublicam gubernantes debent ignominiosè tractare corpora ſceleſtorũ: ad hoc obligat iuſtitia, ſeu recta
1 ratio iuſti regiminis; nam inſtrumentum viuum flagitij debet eſſe comes ſupplicij. Eſſet in Republica monſtrum, ſi æquè tractarentur à publica poteſtate corpora innocẽtium, ac nocentium, optimè meritorum, ac peſſimè meritorum. Auctor huius obligationis eſt Deus; ergo & Deus habet hanc naturalẽ proprietatem, ſcilicet diuerſimodè tractandi corpora iuſtorum, ac iniquorum. Alioqui ſi Deus non haberet naturaliter hanc voluntatem, non eſſet virtus iuſtitiæ punitiuæ malè tractare corpora flagitioſorũ, v.g. publici Sicarij, Latronis, Incendiarij, Rei læſæ maieſtatis &c. ſed eſ-

eſſet vitiũ, quod eſt apertè falſum: eſt enim vitium in creatura illa proprietas, quã non participat à Creatore, ſeu quæ non eſt in Creatore; ergo Deus naturaliter inclinat ad ignominiosè tractanda, & punienda iuxta meritũ corpora, quæ fuerunt viua animarum, coniunctaque inſtrumenta ad contemnendam grauiter Diuinam Maieſtatem, capiendo prohibitas delectationes, & contrà eius placitum abutendo, & inhoneſtiſſimè rebus corporeis plùs, minusùe pro grauitate, & numero contemptuum; ergo cum in hac vita non tractentur, prout merentur, ſociari ea iterùm animabus eſt naturaliter neceſſarium.

Et naturæ lumen dictat conuenire, vt per quæ quis peccat, per ea etiam tormenta patiatur, ſcilicet in corpore, in re familiari, in honore, ferro, tortura, vulneribus, morte, ſpolio, confiſcatione, probro, infamia; Ergo auctor omnis recti dictaminis vult naturaliter tractare corpora contemptorum ſuorum;

er-

ergo hæc corpora ſunt iterùm excitanda à naturæ Auctore. Iudex creatus punit in imagine reum, quando non poteſt in corpore. At Deus poteſt ſemper punire in corpore ob ſuam iuſtitiam omnipotentem, cuius in oculis ſemper ſunt præſentiſſima motiua punitionis, nempè grauia crimina patrata in corpore, & nunquàm expiata; ergo naturaliter ſunt corpora excitanda.

Cum autem pars sẽſitiua ſit ſubordinata libertati animæ, vt in vitijs, ſic in virtute, eſt euidens potiùs eſſe amittendam vitam ſenſitiuam,
3 mortemque obeundam, quàm capiendam quamuis delectationem vehementiſſimam ſenſibilem grauiter à Deo prohibitam. At huiuſmodi delectationes non poſſunt prudenter prohiberi, niſi proponendo explicitè, vel implicitè pœnas graues iudicio legiſlatoris ſapientiſſimi, vt eius iudicio graue eſt ſcelus eas liberè procurare, qui & prudenter debuit allicere ad virtu-

Digitized by Google

tutem, ſeu victoriã, propoſitis præmijs dignis ſummo Legislatore; ergo Deus grauibus pœnis prohibuit, & magna præmia propoſuit; ſed erat poſſibile, & expediẽs proponi & pœnas, & præmia pro parte ſenſitiua, debuit enim eſſe melius vtrique parti, tàm rationali, quàm ſenſitiuæ pati etiam ſenſibilia tormenta, & mortem, quàm contemnere numen ijs ſenſibilibus voluptatibus, non eſſet autem meliùs parti ſenſitiuæ abſtinere ab ijs, & inter tormenta perire, ſi nunquam ampliùs deberet viuere, & præmiũ ſenſibile accipere; ergo debuit prudentia Auctoris naturæ & morum pœnis, & præmijs ſic regere dignis ſua infinita ſapientia, & bonitate; ergo reddendum eſt corpus animabus tàm iuſtis, quàm iniuſtis ab eodem auctore, vt delicias ſenſibiles illæ habeant, hæ autem dolores iuxta merita.

4 Confirmatur primò, quia grauiſſima pati ſecundùm appetitum ſenſitiuum, ne Deum contemnas red-

reddit te Deo amabiliorem ſecundùm eam partem ſenſitiuam; ergo & digniorem conſeruatione ſecundùm eamdem, & vita delicioſiore. Eſt enim prudentis Principis velle ſubditum remuneratum in eo, in quo Priucipis Gloriæ patienter ſeruiuit; ergo & hunc genium habet purum primus Princeps.

Confirmatur ſecundò, quia moriens pro Republica prudente ſcit
certiſſimè, quod ſic ſibi,& coniun-
ctiſſimis ſibi conciliat beneuolen-
5 tiam publicam, & quod Reſpubli-
ca vult in tam coniunctis, ſcilicet
filijs, agnoſcere, & remunerari me-
rita Patris, & ita recta ratio dictat, & prudens regimen. Hic genius laudabilis eſt à primo; & in primo Principe Deo; & cum nihil ſit animæ carius, & coniunctius proprio corpore, Deus naturaliſſimè, & ex ſua pura perfectione ſpecialiter amat corpus, ac vult remunerari; ergo naturaliter propendet ad corpus viuificandum: quod dico de

amore erga corpora iuſtorum, dic de odio punitiuo in corpora iniquorum.

Si non eſſet melius ſubdito mori, quàm eſſe Reipublicæ proditorem, vel Principis, innocenter
6 prodderet, nec poſſet ad mortem obligari, quod probat & animam ſuperſtitem, & corpus reddendum. Nemo quippè poteſt obligari, niſi ad id, quo præſtito meliùs ſe habet, & moraliter, & phyſicè re, vel meritò; ergo homo ſubditus ſic moriens debet tandẽ phyſicè meliùs habere, (niſi aliundè habeat libera demerita) debeturque æterna laus, & approbatio heroicæ electioni mortis, hoc eſt ſenſibilis vitæ iacturæ; ergo Deus etiam naturaliter vult hominem morientem, ne diuina iura violet, reſtitui ad fructum æternum talis mortis: prædictum enim meritum oſtendit naturalem Dei genium.

A deſiderio, & inclinatione animæ naturali.

C A P. XXIX.

NAtura creata nec naturaliter poteſt, nec vniuerſaliter inclinare, neque actu, neque habitu ad res ſuperantes vires, geniumquè
1 Auctoris naturæ, vt talis eſt; ergo, ſi non eſt in Auctore naturæ vis, & genius ad excitanda corpora, neque in animabus poteſt eſſe inclinatio naturalis, geniuſque ad recuperanda ſua corpora; ſi quidem implicat, eſſe in natura creata proprietatem, quæ non ſit participatio alicuius puræ perfectionis in prima cauſa, ſed omnis anima, vtpotè pars ex ſua natura, & incõpleta, & creata, vt ex ſenſibilibus cognoſcat inuiſibiles puri entis perfectiones, inclinat ad corpus organicum, cum quo, & in quo tantùm poteſt exercere vitam ſuam ſenſitiuam, & neceſſe eſt, talem genium eſſe in Au-

Auctore naturæ: non eſt culpa moralis, nec Theologica liberè deſiderare, & petere reſurrectionem, eam ſperare, & ex ea ſpe multa pati honeſtè, vt eſt euidens; ergo nec eſt vitioſa inclinatio ad eamdem, ſed bona, & ſtimulus ad vitam rationi rectæ conſentaneam; ergo cum hæc deſcendat ab Auctore ſapientiſſimo naturę in vniuerſam naturam humanam ratione vtentem, erit naturalis corporum reſurrectio.

Confirmatur primò, quia idẽ eſt aliquid fieri naturaliter, ac fieri iuxtà inclinationem Auctoris naturæ
2 tà inclinationem Auctoris naturæ expreſſam in natura creata, ſed Auctor eam inclinationem impreſſit in vniuerſa natura humana, qua intendit manifeſtationem ſuæ puræ inclinationis; ergo eam præhabet in ſe; ergo eſt naturalis reſurrectio.

Confirmatur ſecundò, quia illa naturalis, vniuerſalis, inclinatio eſt
3 veluti clamor, & petitioi corporis ab Auctore talis clamoris Deo, ſed

vt

vt quid natura creata ſemper, & vniuerſaliter clamaret,& peteret, ſi in æternùm non eſſet exaudienda? Nemo, niſi ſtultus, petit, quod nũquàm impetrabit, aut impetrare poteſt. Verum omnis vox, & petitio naturalis eſt à natura optima; ergo eſt ad rem ab eadem natura optima impetrabilem; ergo Auctoris naturæ opus eſt reſtitutio corporum. Item ille genius eſt veluti libellus ſupplex ab eodem in creatura ſcriptus, ſeu impreſſus, ad quem dirigitur; ergo non poteſt Deus naturaliter deſpicere hunc libellum vniuerſalem, cuius ille eſt auctor, & ex quo plurimos actus honeſtos obtinet in genere humano, v.g. abſtinentiam à voluptatibus ſenſibilibus illicitis, caſtitatem, virginitatem, & harum abſtinentiæ votum, & huiuſmodi mortificationem carnis etiam non præceptam, voluntariam, honeſtam, iacturam totius vitæ ſẽſibilis ex appetitu glorificandi etiam corpore ipſo

ipſo Deum, eiuſque puras perfectiones.

Inclinatio ea, & amor perpetuæ cum corpore ſocietatis non eſt in in nobis ante vſum rationis, nec in eo, qui vſum rationis amiſit, nam
4 cognoſcere, & amare æternitatem ſolùm poteſt creatura intellectiua habens expeditum vſum rationis; immò tunc illuceſcit primùm ratio, quandò cognoſcimus nos obligari immutabiliter ad regulam æternã ſecundũ operationes vtriuſque appetitus, ſcilicet rationalis, & ſenſitiui; ergo etiam homo ſecundùm appetitum ſenſitiuum cognoſcit ſe obligatum ad regulas æternas formaliter, cum in æternùm non liceat ab ijs diſcordare procurando ſenſibiles voluptates contrarias rationi, vel fuga rerum moleſtarum, quæ ſunt honeſtè tolerandæ, ne a iuſto, & placito primæ cauſæ recedatur.

Confirmatur tertiò; quia bruta, nec mortem, quæ eſt iactura totius vitæ

vitæ ſenſibilis, timent, nec cognoſcunt, nec ad æternam cum corpore ſocietatem eorum formæ inclinant incapaces cognoſcendi æternitatem, & tamen de potentia abſoluta poſſunt iterùm excitari, vt & eadem forma reproduci: illicò iterùm erit Bucephalus, ſi naturæ Dominus velit, Naturaliter pereunt formę brutales; ergo cum nihil iam ſint, nullius appetitionis ſunt capaces, quia non entis nullæ ſunt proprietates; ergo nec poſſunt appetere æternam cum corpore ſocietatem. At anima rationalis remanet cum ſua naturali inclinatione ad corpus, quippè quæ ex ſua natura eſt ſenſitiua; ergo hæc inclinatio non reſpicit potentiam abſolutam, quæ poteſt etiam exerceri circa corpora, formaſque brutorum, ſed potentiam ordinariam, & naturalem; ergo naturaliter homo eſt excitandus à morte, quomodò non poteſt excitari Bucephalus.

Confirmatur quartò, quia natura humana non deſiderat naturali-

ter, nec etiam poteſt deſiderare actus potentiæ abſolutæ, v. g. alterius mundi, alterius ſolis, aliorum ſyderum, deſtructionem totius alicuius elementi, cœlorum, & huiuſmodi, quæ tamen poteſt Deus de potentia abſoluta facere, & vniuerſaliter non inclinat naturaliter, hoc eſt inclinatione præueniente libertatis exercitium, ad opera miraculoſa, & ſupra, vel contrà curſum naturæ. Opera enim miraculoſa ſunt ad oſtendendum, quod Deus eſt Dominus naturæ perfectiſſimus, & ſic poteſt impedire ſolem, ne luceat, ignem, ne calefaciat, reſuſcitare Canem Tobiæ, Mulam Abſalonis, nam potentia hæc dominatiua dicitur, & eſt abſoluta, quia nullum naturæ meritum phyſicũ ab ea præſupponitur pro priori natura ad exercitiũ libertatis, alioquin non eſſent ea opera miraculoſa, nec puræ libertatis. Cum ergo omnes animæ ſecundùm ſe appetant ſocietatem cum corpore, & quidèm ab aliquo appetant poten-

te

Digitized by Google

te ſedare appetitum, & ponere rem appetitam; hic autem ſit Deus naturæ Auctor, & eius appetitus, reddet corpus animæ appetenti, vt talis Auctor eſt. Amor, & inclinatio ſunt quoddam pondus, & veluti vinculum amantis ad rem amatam; ergo amor animæ, & genius Auctoris naturæ manifeſtatus naturali eo animę amore erga ſuum corpus docent reſurrectionem mortuorum eſſe ſecundum ſe naturalem.

Ab amore Parentum, & alijs rationibus.

CAP. XXX.

PArentes naturaliter amant filios, & vehementer, fundatur hic amor in cauſalitate: dant ijs eſſe, ideò plus amant, quàm alij, eſt hic amor parentum proprietas, & naturale indicium amoris Dei erga creaturam rationalem vehementiſſimi, & ideò præferentis exiſtentiam filiorum, ſeù habentium

Digitized by Google

rationem aliquam filiorum, exiſtẽtiæ cuiuſcumque alterius creaturæ. Pater naturaliter mauult conſeruatum filium, quàm, quemcumque non filium; ergo Deus Pater creaturæ intellectiuæ mauult eam conſeruatam, quàm creaturam quamcumque non intellectiuã; vbi plus de noſtro videmus, plus etiã amoris conferimus: parentes de ſuo nobis parum conferunt, plurima,& omnia dat Deus; ergo ſi parentes malunt, quatenùs poſſunt, naturaliter, & moraliter præ alijs ſeruatos filios; multò magis Deus vult præ omnibus alijs entibus corporeis ſeruatum hominem; ergo vult ſeruatum in æternùm.

Confirmatur primò; quia vuult æternam durationem aliquibus entibus primò, & per ſe productis in gratiam hominis, v.g. ſoli, elementis &c; Ergo eam magis vult homini, qui enim vult bonum medio, vt medio, illud mauult fini: media ſunt corpora omnia ſenſibilia; ergo mauult homini, qui eſt finis; ergo

ergo ab amore paterno conſtat de reproductione hominis, qui momento moritur, ſed æternùm viuere debet. Plus amat Deus corpus humanum conſtitutiuum hominis dilectioris Deo ſupra omne viuens irrationale, & ſupra omne non viuens; ergo eius vitam mauult, & exiſtẽtiam, quàm eorum omnium, ſed de facto corpora humana corrumpuntur ob cauſas rationales, de quibus alibi; ergo aliquandò reſtituetur homo.

Confirmatur ſecundò, quia homo & dicitur, & eſt imago Dei; ergo naturaliter refert corruptam, ex parte imaginem reſtitui in integrum, & Reſpublica rationalis animarum non debet eſſe in æternùm opus mutilum, vel ſemifactum.

Confirmatur tertio, quia homo non amaretur à Deo, vt homo, niſi
3 amore momentaneo, nec verè poſſet dici amicus, filius, imago viua, gratus, & diſpoſitus ad æternam vitam, ſi in æternùm nihil eſſe deberet, ſeu ſi nunquam reſtitueretur:

tur: ſpecies humana amatur, vt ſpe-
cies; ergo, vt talis, debet reſtitui:
Eadem ſpecies humana nunc eſt
pugnatrix, viatrix, victrix &c; Er-
go eadem debet conſequi termi-
num, in quo tranquillè viuat.

Confirmatur quartò, quia homo
in hac vita propriè fuit iuſtus, vel
iniuſtus; ergo in alia vita debet eſ-
ſe felix, aut infelix, plus, minusue
4 pro ratione meritorum: homo ve-
rè ſe diipoſuit obedientia, ac pa-
tiente dilectione ad aliam vitam;
ergo debet recipere eam formam,
ad quam diſponunt eæ qualitates,
nam virtus eſt diſpoſitio ad opti-
mum, hoc eſt ad felicitatem eius,
qui eas exercuit, non eſſet talis, ſi
homo ille non reſtitueretur, vt li-
quet.

Confirmatur quintò, quia ho-
mo, vt homo, moritur honeſtiſſimè,
v.g. ex amore Dei patientiſſimo li-
berè tolerando iacturam vitæ cor-
poralis; ergo cum actiones, & paſ-
ſiones ſint ſuppoſitorum, debet idē
ſup-

Digitized by Google

ſuppoſitum recipere fructum ſuorũ operum; ergo eſt remunerandus, vt homo, ſeù ſecundùm animam, & corpus; ergo homo eſt animal ſecundùm quid corruptibile, ſed ſimpliciter æternum animal.

Ab obligationibus moralibus, & merito felicitatis.

CAP. XXXI.

OBligationes morales omnes habentes vſum rationis experimur; ſunt propriæ affectiones
1 creaturę liberę eam conſtringentes ad actus meritorios diuinę beneuolentię, ac diuinarum perfectionum, v.g. fidelitatis, veritatis, iuſtitię participationē, quę purę perfectiones, vt ſunt in Deo eſſentialiter connexę cum diuina felicitate, ita earum participatio eſt intrinſecè ordinata ad felicitatem eius, cui participantur; ergo cum homo habeat propriè obligationes morales, ſi eis ſatisfaciat, & diuinas

Digitized by Google

perfectiones ſic imitetur, & Deo ſe conformet, homo etiam debet eſſe felicitatis particeps: & ratio etiā eſt, quia felicitas eum reddere, & denominare felicem debet, quem media verè, propriè, & intrinſecè denominauere diſpoſitum ad felicitatem. Homo ſic verè ſe diſpoſuit pręſtando obligationes morales; ergo poſt mortem naturaliter viuificandus.

Et licet merita felicitatis, propriiſſimè loquendo, ſint tantùm operationes formaliter liberę, tamen operationes, & paſſiones ſenſuum fuerunt media intrinſeca ho-
2 mini, vt homo eſt, & materia proxima operationum liberarum honeſtarum, quæ ob difficultatem pugnæ fuerunt honeſtiores, & magis meritorię. Et Auctor naturæ, & morum videt ob hanc moleſtiſſimam pugnam ſuam felicitatis portionem congruere parti ſenſitiuę, & corpori naturaliter: & probatur, quia etiam currens in Catadromo ad Brauium, equo ſua pernicitate adiu-

adiutori ad victoriam, ſigna exhibet aliqua, quatenùs eſt capax, eũ conſtituentia in ſtatu meliore, vt ſunt eſca melior, cura ſedulior, ornatus cultior, blandimenta, & maior æſtimatio.

Hęc ſtudia naturalia hominum erga equos victoriæ inſtrumenta viua, ſunt certa indicia diuinę perfectionis, & inclinationis Dei ad impertiendam felicitatem corpori inſtrumento viuo animę victricis in hac iugi pugna iuxta meritum, & capacitatem; ergo indicant corpus humanũ certè ab auctore morum iterùm reddendum animę, vt ſit eius in vita perenni, & tranquilla ſocius, vt fuit in vita mortali inſtrumentum viuens coniunctum ad pugnam honeſtam, & ad merita felicitatis, & quia nihil poteſt eſſe contrarietatis in vita felici, nullum erit contrarium corpori noſtro vnquam, à quo corrumpi poſſit.

3 Porrò homo ſapiens non deſiderat viuere hic ſine pugna, & mo-

Digitized by Google

leſtijs ſenſibilibus: videt hoc non poſſe obtineri, & quod careret merito glorioſiore, quale eſt quod acquiritur honeſta, & heroica tolerantia laborum. Et milites ducunt ſibi gloriæ viciſſe hoſtes ſibi validiſſimè reſiſtentes, non autem deſides, nec reluctantes. In hac vita militamus primæ cauſæ volenti, & obliganti ad hanc iugem pugnam contra appetitum ſenſitiuum vſquè ad hanc mortem, non amamus prudenter vitam hìc tranquillam ſenſibilem, quam tamen aliquandò volumus conſequi, nam omnis pugna moleſta ordinatur ad pacem ex natura ſua; vehemens autem inclinatio naturalis ad vitam tranquillam etiam ſecudùm partem ſenſitiuam eſt manifeſtum ſignum, quod Deus Auctor eius inclinationis vult dare eam vitam; ergo quod vult reproducere hominem ad vitam æternã; quia ſi non eſſet æterna, non eſſet plenè tranquilla, cum perturbaretur certa cognitione finis, ſeù iacturæ. In hac morte corporali ani-

ma

Digitized by Google

ma patiens iuxtà placitum primæ cauſæ habet meritum maximum vitæ melioris, etiam ſecundum appetitum ſenſitiuum; ratio enim dictat debere eſſe quem melioris conditionis in eo bonorum genere, quæ pro bono honeſto honeſtè amiſit; ergo animæ tale corpus eſt reddendum in ſtatu meliore; ergo &c.

Exiſtentia entis amati beneuolè præfertur exiſtentiæ entis non capacis talis dilectionis: homo ſic amatur à Deo; ergo mauult hominis exiſtentiam, quàm omnium aliorum entium corporeorum: ergo eſt ſimpliciter animal immortale.

An Angeli poſſint naturaliter reſuſcitare Homines?

CAP. XXXII.

Reſpondetur negatiuè: ratio eſt, quia homo eſt phyſicè li-
1 ber, ſed moraliter obligatus, & ſeruus, cui tandem debetur vel præmium,

mium, ſi honeſtè vixit, vel pœnam, ſi inhoneſtè, & contra legem primę cauſæ, debet autem dari terminus laboris: nec vlla creatura debuit determinare alteri tēpus laborum, numerum, & qualitatem meriti, & menſuram pœnarum; ergo Angeli non poſſunt ſua virtute naturali mortuos excitare, ſed ad primam cauſam ſpectat, cui vni eſt pleniſſimè ſubdita creata quæuis libertas, & cuius placitum, vel conformitas cum eius voluntate, aut lege æterna eſt vnicum motiuum honeſtè, ac meritoriè agendi; ergo nec Angelus, nec vlla creatura poteſt nobis eſſe regula in operibus liberis; ergo nec poſſunt Angeli organizare corpora, & iterùm eis copulare ſubſtantialiter animam.

Et ſi poſſent, vel ea corpora eſſent corruptibilia, & ſic anima felix rediret ad ſtatum corruptionis, quod repugnat eius conditioni, vel
2 eſſent incorruptibilia, & hoc ſpectat ad eum, cuius eſt ſtabilem vitam dare enti libero ſibi in hac li-

ber-

bertate ſubdito priuatiuè quoad omnes creaturas tàm in operibus meritorijs, quàm demeritorijs, tàm in præmijs, quàm in ſupplicijs.

Confirmatur doctrina, quia eſt naturale, vt ens productum ſubſit producenti. Sic homo genitus iure naturali debet reuerentiam, ac ſubiectionem ſuo genitori, quatenùs ab eo accepit, vndè cum parum accipiat, parum debet: at cum omnia à Deo habeat, omnia, & in omnibus Deo debet; ergo ſi ab alio reproduceretur ad vitam perpetuam, ei eſſet debitor perpetuæ ſubiectionis, at hoc repugnat ſtatui felicitatis, quæ eſt vnio tranquilliſſima cum ſola prima cauſa. Debet ergo in regeneratione homo habere ſolummodò Deum Patrem. Dixi, quod Angelo excitanti ad vitam perennem, æternam ſubiectionem, iureque naturali deberet, ſicut in hac vita mortali debet Patri danti hanc vitam mortalem; non ergo eſſet tranquilla libertas, quæ alteri, quàm ſuæ vnicę regulæ,

& ſi-

& fini vltimo eſſet obligata, & ſerua.

Confirmatur primò, quia cum ſinguli Angeli poſſent naturaliter reproducere defunctos homines, qui eſt inter Angelos virtute maior, alios impediret, vt ipſe ſolus reproduceret, & naturaliter ſubditos haberet, & gloriam acquireret, quod ſi non impediret, adhuc eſſet fauor, cum liberè potuiſſet impedire; ergo tot haberemus ſuperiores, quot Angeli virtute maiores eſſent, eiſque ſubiectionem naturalem deberemus. Inſuper ſi poſſent naturaliter reproducere, poſſent ſemper; ergo poſſent ad libitum diſponere de ſtatu felicitatis, & miſeriæ omnium defunctorum, quod certè non ſpectat ad eos, ſed ad cauſam primam, & adæquatam, atque vltimum finem.

3

Dices in alia vita Angeli ſuperiores illuminant inferiores ſpiritus, & animas; ergo debetur eis ſubiectio.

Reeſpondetur, negando conſequen-

quentiam: ſiquidem eo titulo debetur gratitudo, non autem reuerentialis, & obedientialis ſubiectio.

4 Sumus debitores parentibus in hac vita, ſumus & alijs benefactoribus, ſed alio modo. Non poſſum par reddere parentibus, poſſum tamen benefactoribus, nam gratitudo poſſet naturaliter eſſe coæquatiua beneficij illuminationis, & huiuſmodi.

Confirmatur ſecundò; quia Angelis iure naturali eſt illicitum occidere hominem ſua priuata auctoritate, quia homo agens liberū tandiù debet hìc militare, quamdiù vult Deus; ergo priuata auctoritate non licet eum, ab hoc meritorū & demeritorum ſtatu educere; ergo nec eum reducere, dum eumdem ſtatum amiſit, & ſententiam à Deo accepit decretoriam iuxta merita acquiſita tempore pugnæ; ergo non poteſt Angelus per ſe liberare à carcere animam damnatam à ſuprema auctoritate, & corpori ſociare, nam non eſſet certa, fixa-

fixaque damnatio; vndè & reſtitutus homo huic vitæ poſſet iterùm Deo militare, & impetrare remiſſionem peccatorum; vt contigit miraculosè alicui Ethnico ad vitam reuocato. Adde, quod ex caritate deberent excitare, vt eos ſalubriter pœniteret, & ſic augeretur numerus cultorum Dei.

Confirmatur tertiò; quia ſi Angelus poſſet iterùm animam vnire
5 corpori, vel poſſet eam vnire liberè volentem vniri, vel etiam inuitam, non inuitam, quia beneficium non eſt conferendum in inuitum; & ſi inuitam poſſet reſtituere corpori, haberet ius naturale in eius libertatem, eam ſcilicet reddendo nolentem ad ſtatum pugnæ, meritique, ac demeriti. At ſoli Deo creata libertas per ſe, & ſua natura ſubeſt. Si verò poſſet animam iterùm ſociare corpori, ſi ea id liberè vellet; anima ſibi potiùs deberet reſurrectionem corporis, quàm Angelo. Reſpublica ergo libera hominum, quoad ſtatum merendi,

& præ-

& præmij, ac ſupplicij tota pendet ab auctore libertatis Deo; & vt creatio, & infuſio prima animæ eſt opus ſolius Dei, ita ſecunda infuſio ad ſolum Deum ſpectat, vt Auctorum naturæ & morum.

A congruentijs naturalibus probatur Hominem debere viuere in æternùm.

CAP. XXXIII.

Congruentias eſſe plures pro immortalitate animæ, nemo
1 benè vtens rationis naturalis lumine negat; innumeras in toto opere de immortalitate animæ attulimus, ſumptas à natura, à proprietatibus, à potentijs, ab operationibus, & earum obiectis, à connexione cum prima cauſa, eiuſque perfectionibus ſimpliciter ſimplicibus. Pariter multas rationes congruas eſſe pro reſurrectione corporum, certum habetur, communiter. Non deſunt tamen, qui dicant ex his,

his non probari euidenter id, quod intendimus : quare explicare, oportet quid ſit congruentia, vel ratio congruens, vt ab ijs admiſſis conſtet demonſtrari animę immortalitatem, & corporum reſurrectionem, pro quo.

Dico primo, Auctorem naturæ, vt talem, neque negare, neque poſſe negare naturis creatis, quod exigunt naturaliter: hoc eſt euidens
2 benè terminos apprehẽdenti; quod ſi neget, miraculum eſt, ſeu Deus procedit tunc, vt Dominus naturæ, non vt eius auctor, & tutor: vtitur potentia ſua abſoluta, non autem potentia alligata legibus, & meritis naturæ: habet libertatem purã, & perfectiſſimam, & ita fungitur munere Auctoris naturæ, vt ad ſuũ libitum poſſit etiam fungi munere eiuſdem Domini, quo tamen rariſſimè vtitur. Ignis naturaliter calefacit, & comburit: tres in fornace pueros nec læſit, nec contriſtauit omnino: hoc fuit opus miraculosũ: & miraculi proprietas eſt, eſſe rarũ,

& ſic

& ſic ſuprà, vel contrà ordinem naturæ. Deus ergo, vt auctor naturæ, ſemper dat naturis, quod exigunt, cum enim exigentia caloris in igne, v.g. ſit ipſamet eſſentia, naturaque ignis, vel eius proprietas metaphyſica, Deus volens ignem vult neceſſariò ſubſtantiam exigitiuam ab eodem Auctore omnium caloris, & combuſtionis; ergo cum naturale ſit, quod naturæ Auctor vult, & amat, naturaliter debet igni calorem, & idem dic de qualibet natura, vel re producta.

Dico ſecundò, congruentiam naturalem eſſe rationem intentam, & amatam neceſſariò ab Auctore
3 naturæ, ſeu eiuſdem rationis congruæ: amat enim res ſecundùm earum meritum obiectiuum, ſeu quatenùs ab eo ſunt, & accipiunt. Ratio ergo euidenter, & ſua natura congrua eſt neceſſariò talis iudicio eſſentialiter vero Auctoris naturæ: & ſi intellectus quicumq; benè diſpoſiti ſciunt dari rationes naturales congruas certè ad inferendam ali-

aliquam concluſionem, non poſſunt negare eam concluſionem eſſe euidentem ſaltem moraliter. Eſt ergo impoſſibile, vt omnes intellectus, ritè, rectèque apprehendentes iudicent aliquas rationes euidenter congruas naturales, & putent eſſe naturaliter falſitati obnoxias, vel in ordine naturali ſtando, fallaces, ac deceptorias.

Ratio eſt, quia natura debuit facere indubitanter verum, quod vniuerſaliter, & certiſſimè congruit eſſe verum. Hoc videtur per ſe clarum: ſed vniuerſaliter, & certiſſimè expedit, ſeù congruit, animam eſſe immortalem, ſeu viuere ſeparatam à corpore mortuo, vel non mori moriente corpore; ergo neceſſe eſt eſſe naturaliter veram animę immortalitatem, ſeu eſſe certum de ea, & perſpicuum iudicium, cum tot pro ea dentur rationes euidenter congruæ. Ergo admittens tales congruentias naturales pro hac veritate eam non poteſt negare eſſe naturaliter euidentem: & confirma-

ma-

Digitized by Google

matur, quia nullum falſum cōgnuit euidenter apparere ex natura ſua, & vniuerſaliter verum; ergo naturæ auctor aſpergere tot congruentijs immortalitatem animæ, vel eius vitam extrà corpus mortuum, & relinquere eam dubiam benè conſiderāti eas rationes congruas phyſicas, nequaquam debuit, nec potuit.

Dico tertiò. Ratio euidenter congruens naturalis eſt aliquid; er-
4 go identificatur cum aliquo ente: hoc eſt per ſe certum; ergo in hoc noſtro caſu rationes huiuſmodi cū eo ente identificantur, cuius ſunt naturales rationes; ergo cum anima, eiuſque potentijs, proprietatibus, operationibus, & earum obiectis, Auctoreque naturæ; ergo animæ ſubſtantia, & alia nunc dicta ſunt rationes euidenter congruæ veræ huius aſſertionis. At illa ſubſtantia eſt euidenter immortalis, pro qua ſtant tot rationes euidenter congruæ ad habendū hoc prædicatum immortalitatis.

Con-

Confirmatur: quia Auctor naturæ fruſtra daret formæ canis plurimas rationes naturaliter cum euidenti congruentia, indicantes eam eſſe immortalem, ſi eſt, vt certiſſimè eſt, ſua natura mortalis, & ſolũ
5 ſeruabilis de potentia abſoluta; ergo fruſtra etiam dediſſet congruentias naturales animæ rationali, ſi ſua natura eſſet mortalis: at implicat, auctorem naturæ eſſe ſtultum; omne opus eius eſt opus intelligentiæ: ſi verò anima eſt ſua natura immortalis, non poteſt non eſſe talis, quia rerum eſſentiæ, & naturæ ſunt ſicut numeri, & immutabiliter tales. Implicat ternarium non eſſe ternarium, ſic & implicat ſolem eſſe ſua natura principinm illuminationis, & poſſe non eſſe tale.

Dico quarto; congruentia naturalis euidens eſt relatiua ad ali-
6 quod ens, cuius ſit, vt ſubiecti, & ad aliud, cuius ſit, vt termini, quem congruentia reſpicit. Omnis effectus congruentiæ eſt effectus, vt ſu-

ſubiecti, eſt cauſæ, vt termini, quem reſpicit; Ergo congruentiæ euidentes pro immortalitate, & pro corporum reſtitutione, reſpiciunt cauſam animæ, quæ eſt Deus, & animæ, & corporum, omniumque cauſa prima, & vniuerſalis; ergo eſt euidenter congruum naturaliter, vt Auctor naturæ ſeruet in æternùm animas, eiſq; corpora reddat, cum pro totius hominis vita æterna plurimæ ſtent congruentiæ naturales; ergo homo naturaliter debet viuere in æternùm. Habet Auctor naturæ pro immortali vita animæ, & corporis viuificatione plura motiua, quæ nec habet, nec habere poteſt reſpectu canis, & equi, & cuiuſcumque bruti, quæ poteſt ſeruare in æternùm, & mortua viuificare, vt Dominus naturæ, non vt eius Auctor, qui quidquid facit, vt talis, facit alligatus merito phyſico naturarum; ergo & anima rationalis ſeruabitur à Deo naturaliter, & corpus ei reddetur, quomodò non poteſt ſeruare canis formam, & eum-

dem

dem mortuum reſuſcitare, quod ſi faceret, eſſet miraculum: eſt enim miraculum illud, quod fit ſuprà, vel cõtra ordinem naturarum productarum. Congruentia autem naturalis eſt, vt patet ex terminis, iuxta ordinem naturæ.

Collige primò, non poſſe eſſe
miraculoſum id fieri à prima cauſa,
7 ad quod faciendum habet, videtq;
plurimas congruentias naturales,
ſeu fũdatas in ipſis naturis, earum-
que proprietatibus; ergo implicat
Deum non ſeruare animas mortuo
corpore, & nõ reſtituere illis corpo-
ra iuxta meritũ tot congruentiarũ
naturalium; ergo homo debet in
æternùm viuere, & ſi Deus non ſer-
uaret animam, eique non redderet
corpus, omitteret in æternùm face-
re id, ad quod, vt naturæ Auctor,
inclinat iuxta meritum tot con-
gruentiarum naturalium, quæ ideò
ſunt naturales, quia ſunt, & aman-
tur ab Auctore naturæ; ergo ea
omiſſio eſſet innaturalis. Illud
quip-

Digitized by Google

quippè eſt euidenter innaturale, quod eſt contra inclinationem naturæ Auctoris, & naturales congruentias fundatas in ipſis naturis productis, & quas eis imprimit, & amat Auctor earum; ergo non ſeruare animas, & non reddere in æternùm illis corpus eſſet quid innaturale, & veluti perenne miraculum.

Dices; fuit congruum Deum
Incarnari; ergo Incarnatio Verbi
8 Diuini eſt opus naturale, ſed hoc
eſt planè falſum; ergo ex eo, quod
aliquid fieri ſit congruum, non
ideò eſt opus naturale; ergo con-
gruentiæ reſurrectionis non pro-
bant eam eſſe naturaliter facien-
dam.

Reſpondetur diſtinguendo; fuit congruum congruitate tenente ſe ex parte diuinę liberalitatis, & puræ miſericordiæ, concedo: ex parte creaturæ peccatricis, nego. Immo tali creaturæ debetur ex natura peccati grauis perpetua excluſio à Deo, vt delicioſo, & fonte beatitu-

dinis, & æterna vnio cum eodem, vt iuſto punitore ſuorum contemptorum.

Congruentiæ primo modo ſunt eius diuina liberima benignitas,
9 & miſericordia, & pura liberalitas, quæ ſunt poſſibiles, vt oſtendant, Deum eſſe fontẽ omnis boni, etiam indebiti; eſſet imperfectio non poſſe dare, niſi bonum debitum, nec poſſe exercere liberalitatem.

Congruentiæ autem ex parte creaturæ ſunt eius naturales proprietates, quibus mouetur naturæ Auctor ad agendum, vel non agendum, non autem ità mouetur à cõgruentijs primo modo.

Quod ſi homo non peccauiſſet, ſed innocentiam conſeruauiſſet, &
10 Deus voluiſſet incarnari, fuiſſet id congruum titulo meræ, puræquè liberalitatis, & exceſſiuæ bonitatis, non autem miſericordiæ, vt eſt de facto. Nihil poteſt eſſe meriti ex parte donatarij, quando donatio eſt pura, vndè donatio antidoralis, ſeu remuneratoria non eſt pura,

quia

Digitized by Google

quia ſupponit aliquod meritum ex parte donatarij. Debet autem Deus poſſe exercere puram donationem, quia hæc potentia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Vbi eſt pura donatio, donatarius non habet congruentiam ex ſe poſitiuam, ſed tantum capacitatem, & carentiam boni poſſibilis, non autem debiti vllo naturali iure. Poteſt Deus non tot quin plura facere, ſed ex ſua pura libertate; poteſt creare alium ſolem, alium mundum &c.; non ſunt tamen vllæ congruentiæ poſitiuæ in hac rerum mole ad aliū ſolem, vel mundum. Poteſt innumera, vt Dominus naturæ, quæ non poteſt, vt eius auctor, & tutor: in hoc noſtro opere primò, & per ſe ſpectamus, vt auctorem rerum omnium naturalium. Demum addo, quod reſurrectio impiorum hominum non fit ex gratia, aut à Deo, vt Domino, ſed vt Auctore naturæ: nam natura peccati, & iuſtitiæ punitiuæ, & praua voluntas, quæ liberè elegit cōtemnere infinitam ma-

Digitized by Google

ieſtatem, exigunt punitionem hominis, qui contempſit, atqui ſola anima non eſt homo; ergo corpus iterùm eſt naturaliter ſociandum animæ.

Dico quintò. Finis harum congruentiarum naturalium non po-
11 teſt eſſe alius, niſi manifeſtatio diuinæ alicuius perfectionis, & vt aduertentes, & conſiderantes eas iudicent neceſſariò ſe eſſe ad immortalitatem factos, ſecùs autem iudicare repugnat rectæ earum apprehenſioni, & æſtimationi, quæ cum ſint ab auctore naturæ impreſſæ, & amatæ, ad finem optimum ſunt impreſſæ, & amatæ, vt decet optimi agentis ſapientiam, at hæ cōgruentiæ naturaliter docent nos immortalitatem totius hominis, & excitant ſua natura appetitum eius; ergo excitant, volente earum Auctore Deo; non poteſt ergo eſſe falſum prædictum iudicium, nam aliàs auctor naturæ determinaret omnem naturam humanam ad falſa iudicia in re omnium grauiſſima,

ma,

ma, & quidem antè libertatis exer-
citium; ergo oſtenderet ſe aman-
tem falſitatis, & quidem neceſſariò,
ſi naturaliter prædeterminat; ergo
inducere in falſitatem non eſſet vi-
tium, nec mendacium eſſet pecca-
tum, quia non poteſt eſſe peccatum
id liberè facere, ad quod faciendũ,
Deus naturaliter inclinat, & quod
eſſet participatio puræ perfectio-
nis; at Deus amans falſitatem, &
& mendacium chimera eſt, vt alibi
probo.

Dico ſexto. Omnis proprietas
naturalis eſt ad perficiendam na-
12 turam, cuius eſt proprietas, at di-
ctas naturales cõgruentias euiden-
tes ſequitur iudicium de immorta-
litate hominis, Animæ vtique per-
fectiuum, vt liquet; ergo implicat
eſſe falſum; implicat enim falſum
eſſe perfectiuum. Si anima eſſet
mortalis, dictæ congruentiæ eam
nequaquam perficerent, ſed inficе-
rent; nam falſitas eſt morbus intel-
ligentis formæ, & remouerent ex
ſua natura hominem à fructibus

proprijs huius vitæ mortalis, qui eſſent vnicus finis hominis, ſi anima eſſet mortalis; ergo eſſent non proprietas, & perfectiuæ animæ, ſed vitium, ſeu impedimentum finis naturalis; ergo impoſſibile eſt, vt rationes naturales euidenter cõgruæ pro animæ immortalitate, & carnis reſurrectione non probent hominem ex ſua natura factum ad æternam vitam.

Porrò congruentiæ etiam morales, vt vocant, probant etiam euidenter naturaliter, nam etiam rationes morales habent ſuam
13 phyſicam naturam, & proprietates, ſed fundatas in potentia libera, cuius vt principij naturalis ſunt propriæ operationes morales, & cũ hæ ſint magis propriæ naturæ rationalis, & prout diſtinguitur à brutorum naturis, meliùs indicant & animæ, & totius hominis vitam fore æternam.

Dico ſeptimo. Cõgruentiæ prædictæ perficientes naturam humanam indices eius interminabilis vitæ

Digitized by Google

tæ ſunt participatio alicuius puræ perfectionis in prima cauſa exiſtētis. Sicut enim natura humana eſt naturalis participatio naturæ diuinæ, eiuſque imago, & ſimilitudo in eſſe naturali, ita congruentiæ in ea fundatæ; qui enim participat naturam, etiam naturaliter conſequentes proprietates participat, & ideò participantur, vt ſint intelligenti creaturæ ſigna puræ perfectionis, & gloria primæ cauſæ; quid ergo eſt id, quod participatur? eſt naturæ diuinæ participatio, vt æternæ, & amantis æternàm vitàm. Diuina natura habet ex ſe meritum eſſentiale æternæ vitæ, participatio huius perfectionis, quæ innoteſcit nobis per noſtrum appetitum, & amorem æternæ vitæ, eſt id, quod hominem naturaliter factum ad æternam vitam oſtendit.

Dico octauo, qui admittit eſſe naturaliter congruam corporum reſurrectionem, neceſſariò debet admittere, eam eſſe ex natura rei futuram: ratio eſt, quia auctor natu-

ræ facit, quod eſt neceſſariò congruum naturaliter, vt faciat. Tantum dat naturis creatis, quantùm congruit naturaliter, vt det, ſi enim cōgrueret naturæ ſolis habere plus lucis, Deus, qui eſt purus Sol, & Auctor Solis, nunquàm ei denegaret, alioqui ſol eſſet in ſtatu ſemper incongruo, atque adeò innaturali, idem dic de alijs rebus naturalibus. Si ergo ex natura rei congruit, humana corpora reuiuiſcere, naturaturalis eſt mortuorum reſurrectio.

Confirmatur primò, quia, quod pater ſemper neget filio, quod ei dari naturaliter congruum eſt, repugnat naturali inclinationi paternæ erga filium; eſſet aliquod dede-
15 cus Patris, ſi ei poſſet obijci: filio nunquàm dediſti, quod naturaliter congruebat à te ei dari. Auctori porrò naturæ ſapientiſſimo, & optimo nihil indecorum poteſt obijci; ergo Deus, qui ſuas naturales inclinationes, ſeu perfectiones oſtēdit in proprietatibus creaturarum,

naturaliter fertur ad dandum naturis creatis, quod eis dari congruit. Nihil aliud eſt naturaliter fieri, quã fieri iuxta inclinationem Auctoris naturæ fundatam in merito obiectiuo naturarum; ergo reſurrectio, cuius ſunt naturales congruentiæ, eſt naturaliter facienda.

Confirmatur ſecundò, quia per ſe abſurdum eſt dicere, quod ſapiẽ-
16 tiſſimus auctor naturæ naturaliter per totam æternitatẽ omittit, quod incongruum eſt, vt omittat; ergo naturaliter eſt futura mortuorum reſurrectio. Incongruentia in opere eſt vitium operis; ſi anima perpetuò careret vnione cum corpore ſuo, eſſet opus perpetuò vitioſum, & vitium redundaret in opificem, quod tamen repugnat, cum ſit eſſentialiter optimus, faciatque omnia in pondere, numero, & menſura; ergo corpora reſtituẽtur à Deo, non vt Domino, ſed vt auctore naturæ.

Ex quibus habes, non diſtingui in ordine naturali congruentiam,

Digitized by Google

17 exigentiam,& meritum phyſicum, nec enim eſt naturaliter cōgruum, vt igni dētur aliæ qualitates, vel intenſiores,ac de facto habet: exigit has, congruæ ſunt hæ, habet meritum phyſicum harum, nec poteſt phyſicè habere ſe aliter: ſicut Legislator naturalis non poteſt dare alias leges naturales,quàm quas de facto dat, nec eſt congruum dari, aut etiam poſſe dari alias, quia, ſi poſſent dari,darentur de facto: ratio eſt, quia naturales leges non ſunt contingenter, ſed neceſſariò, & antè omne liberum decretum; liberè enim feruntur poſitiuæ tantùm;ſic congruentiæ naturales non ſunt contingentes, ſed neceſſariæ; ergo amantur neceſſariò ab Auctore naturę; ergo earum obiectum, quod eſt in ſola manu eiuſdem auctoris,eſt naturaliter debitum: hoc autem eſt totius hominis vita æterna.

Ho-

Homo ſua natura potiùs eſt Immortalis, quàm Mortalis.

CAP. XXXIV.

PRobatur, quia Naturæ Auctor ſapientiſſimus non poteſt, vt talis, inferre malum naturæ productæ accomodanti ſe reuerenter eius legi, ſeu placito eſſentialiter recto, & ſic viuifico ad vitam optimam;
1 ergo Deus, vt naturæ auctor, non poteſt mortē infligere homini vtenti bonis vitalibus, prout Deus ipſe vult, & cum eiuſdem gloria, quod probatur à genio Principis creati demonſtratiuo talis genij puri in Principe increato, & à quo eſt omnis poteſtas, & proprietas bona creaturarum rationalium. Princeps prudens nequaquam vult ſuum ſubditum ſpoliare ijs bonis, qui ex ijs viuit, prout Princeps vult, & exigit ſapienter, ſed vult ei ſeruata huiuſmodi bona, quæ ipſe contulit, & quorum ſpolio ipſe non eget, &

Digitized by Google

quibus ſpoliari nullius alterius ſubditi naturaliter intereſt; ergo Deus auctor talis proprietatis, & laudabilis voluntatis eamdem præhabet puram; ergo naturaliter non poteſt homo vita ſpoliari, ſi vitam agat iuxtà voluntatem vitę omnis auctoris Dei. At homo, & poteſt, & debet viuere ſecundùm vitam rationalem, & ſecundùm ſenſitiuam in omnibus iuxtà diuinam legem; ergo debet in omnibus, ſcilicet à ſua libertate pendentibus, conſeruare meritum viuendi ſecundùm potentias ſuas vitales, etiam ſenſitiuas; ergo poteſt, & debet ſua natura, & & debito quidem indiſpenſabili viuere vitam æternam, vt homo eſt, & nunquàm amittere ſenſitiuam, ne dum intellectiuam ac liberam, quæ vtiquè eſt ſupra omnem ſenſum, cum hi ſenſus debeant à libertate regi iuxta regulas æternæ legis: at regere eſt proprium ſuperioris, ac proindè in ſua eſſentia, & ſuperioritate independentis à ſubditis, qui naturaliter ſubiacent dictæ dire-

re-

rectioni : vnde ſi potentiæ ſenſiti-
2 uæ regantur iuxtà placitum Dei,le-
geſque æternas, eo ipſo debent vi-
uere in æternùm ; eſt enim eorum
honeſta directio, & vita conformis
diuinæ voluntati, eique glorioſa;
vndè non poteſt dari vlla creatura
materialis, cuia naturaliter interſit
deſtrui vitales potentias ſenſitiuas
conformes in ſuis actibus vitalibus
vitæ fonti puro, eique glorioſas,
cum & inter ſenſibilia nihil ſit me-
lius, atque adeò Deo dilectius, ac
vita ſenſitiua recta iuxta diuinum
placitum : ſi dilectius eſt ſic viuens
ſenſibiliter ; ergo eſt omnium ſen-
ſibilium ſeruatu digniſſimum; ergo
a nullo ſenſibili, vel inſenſibili a-
gente poteſt homo viuens rectè ſe-
cundùm ſuas potentias vitales ſpo-
liari naturaliter vita ; ergo eſt ſua
natura obligatus ad vitã æternam,
& ſic eſt magis natura immortalis,
quàm mortalis : & Deus, vt auctor
naturæ, voluntate antecedente per-
miſſionẽ peccati, ei amat æternam
vitam etiam ſenſitiuam, & ſic per-
fe-

petuam vitalem vnionem animæ cum corpore organico eidem ámat.
Ex dictis habes ergo, quod, qui dat alicui bonum, ſeu beneficium, ex quo refert fructum intentum, non poteſt naturaliter inclinare ad illud auferendum, nam eſt ſemper idem motiuum ſeruandi, nec, niſi facta mutatione ex parte beneficiarij, vel
3 motiui, debet mutari prudens electio, & ſapiens voluntas collatoris. Deus homini dedit vitam ſenſitiuam; ergo non aufert, niſi occurrat motiuum dignum ea ablatione. Et vera eſt ea regula. Decet Principis beneficium eſſe manſurum, ſeù ſemper durare: at motiuum naturaliſſimum eſt, ſi natura creata rationalis abutatur bono collato; ergo ex ſolo abuſu vitæ ſenſitiuæ, & bonorum ſenſibilium auctor naturæ habet motiuum ſpoliandi vita ſenſitiua, & hanc mortem infligendi; quod contigit Primo humani generis Parenti conſtituto a Creatore totius procuratore poſteritatis.

tis. Omnia bona ſenſibilia ſunt ad hunc finem cõdita, nempè vt creatura rationalis, hoc eſt, ex ſenſibilibus diſcurſiua ad inſenſibiles perfectiones Primæ communis cauſæ, eamdem cognoſcat, amet, colat, eaque demum tranquillè fruatur; ergo homo ijs vtens contrà eum finem, ijſque inhærens, & viuens contrà placitum, legemque æternam, vel poſitiuam naturaliter meretur eorum ſpolium, quod & innata quadam vi exigunt eadem bona, quæ homo abutens facit ſeruire peccato, ſeù contemptui communis cauſæ ſuper omnia, & in omnibus venerabilis, & amandæ; & luminis naturæ axioma eſt; meretur ſpoliari priuilegio, qui eo vtitur contra intentionem concedentis; ergo & abutens datis a Deo bonis debet ijs priuari.

Immò debet ſemper torqueri ſenſibiliter, qui cum Dei contemptu adhæſit prohibitis ſenſibilibus delectationibus, præſertim cupiens, quantùm eſt ex ſe, ijs ſemper frui;

er-

ergo eſt iuxta naturalem genium,
& Dei, & ipſarummet ſenſibi-
4 lium rerum, vt ſenſibilibus bonis,
vt bonis, ſpolietur, & ijs vnia-
tur, vt habentibus vim cruciandi,
ſeu vt perenni ſenſus pœna punia-
tur, qui abuſus eſt ijs contra obe-
dientiam, reuerentiam, & dilectio-
nem Deo debitam.

Habes ſecundò ex dictis, quod
mors hæc eſt naturalis homini ſe-
cundùm innatam defectiuitatem
ſuæ libertatis, non autem ſecundùm
5 innatam obligationem viuẽdi ho-
neſtè ſecundùm partem ſenſitiuam.
Peccatũ poſſibile eſt cauſa prima,
& remota mortis, peccatum actua-
le, ſiuè proprium, & perſonale, ſiuè
alienum, etiam aliquo modo pro-
prium, eſt cauſa proxima mortis.
Itaque homo eſt ſua natura magis
immortalis, quàm mortalis, quia
naturali indiſpenſabili obligatione
tenetur ſuper omnia vitare cauſam,
& meritum naturale mortis; ergo
tenetur ſuper omnia naturaliter ad
vitam æternam, vt homo eſt. Pa-

trato

trato ob bonum ſenſibile peccato genus humanum contraxit proximè debitum mortis. At vitæ auctor ex ſua miſericordia infinita, voluit filius Adæ fieri, vt glorioſiùs redimeretur homo, quàm ignominioſiùs ceciderat, & mors hominis ſecundùm partem ſenſitiuam in Deo homine eſſet eidem Deo glorioſior, quàm fuerit indecora mors primi Parentis.

Vndè optimè Pater Cornelius à Lapide in c. 5. ep. ad Rom. n. 278. ſic ſcribit. *Errat Seneca, & cum eo Philoſophi, quorum hæc eſt com-*
6 *munis ſententia. Mors homini natura eſt, non pœna: Immò verò mors eſt homini pœna, non natura, vt hic docet Apoſtolus, & Sapiens* cap. 2. *Deus,* inquit, *creauit hominem inexterminabilem, ideſt immortalem, & incorruptibilem, ſeu vt eſſet immortalis, ſi vellet Deo obedire, & perſiſtere in ſua Innocentia*: legatur in ea verba: *Et per peccatum mors, & in omnes homines mors pertranſijt.* Si ergo naturæ præcisè erat debita

mors,

mors, non pertranſijt, niſi nouus ad ſummum titulus moriendi; ſed hoc non ſufficit ad dicendum rectè, quod pertranſijt. Homo innocens non poterat mori. Homo in ſtatu naturæ poterat mori, & non mori: poſſe peccare natura eſt, ſed naturalis defectus; peccare contra naturam eſt: non poſſe peccare ad ſtatum felicitatis, vel extrà viam ſpectat: ſic Pueri in Lymbo, animæ in Purgatorio, & animę beatę ſunt impeccabiles. Vide S. Thom. 3. par. q. 96. art. 6. ad 3. cum Suarez de vita Chriſti pag. mihi 399. vbi docet, quod corpus Adę pati non poterat, niſi peccaret, & ſic fieret mortale.

Deus Adamo non propoſuit, quod præuaricãdo fieret mortalis,
7 ſed quod actu moreretur: *In quocumque enim die* (inquit) *comederis ex eo, morte morieris*, Gen. cap. 2. & quod potentia trãſiret in debitum moriendi. Nam etiam Innocens, & donis inſtructus potuit mori, quia potuit pro ſua defectiua liber-

Digitized by Google

tate contemnere vitam ſecundùm ſenſum, ſed prohibitam, & præferre vitam ex creatura vitæ ex Creatore. Innocentia per obedientiam confirmata tollebat potentiam moriendi, vndè immortalitas hoc modo erat donum iuſtitiæ originalis, non naturæ hominis, quæ tamen ſecundùm ſe ſemper potuit, & debuit viuere vitam ęternam; ſed cum potentia incurrendi mortem hanc, ſi ſcilicet moreretur moraliter, & ſecundùm animam: hæc mors moralis, & ſpiritualis, eſt liber contemptus diuinæ legis, quę mors neceſſariò diſplicet grauiter Deo auctori morum, & naturæ.

Quia verò vita per mortē amiſſa non poteſt naturæ creatæ ſola virtute recuperari; anima ſpiritualiter mortua non poteſt ex ſe recu-
8 perare virtutem adæquatam ad viuendum eam vitam, qua Deum habeat placatum, & quæ conducat ad vltimum finem; ergo non poteſt anima ex ſe extinguere auerſationem

nem primæ cauſæ ideò nolentis viuere amanter cum peccatrice anima, quia anima liberè contempſit viuere cum ea amanter, ac reuerenter. Vndè reuocare creaturam ad eam vitam ſpiritualem ſpōtè amiſſam, & vt eſt diſpoſitio per ſe ad vitam felicem, quæ eſt vltimus terminus omnis alterius vitæ, eſt mera gratia Creatoris: debet tamen homo cauere, ne multiplicet actus mortiferos, & ſeruare leges naturales, tamen ea obſeruantia non eſt propria diſpoſitio ad felicitatem, eiuſque meritum, quia non eſt à viuente in ordine morali, & amante, prout oportet ad eam felicitatem; contemptus enim præteritus actualis, ſed remanens habitualiter, quãdiù liberè nõ remittitur à contempto, reddit indignum acceptatione ad felicitatem, ſeù vitam cum primò ente tranquillam propriam amantium ſuper omnia, & carentium habituali contemptu.

Quæres obiter; an amiſſa per mor-

mortem hanc vita ſenſibili, etiam moriatur homo, quatenus rationalis?

Reſpondetur affirmatiuè, ſi per ly rationalis, intelligatur homo, vt
9 diſcurſiuus ex ſenſibilibus ad inſenſibilia, & obiecta ea quæ attingere ſpectat ſolum ad rationem, ſeù potentiam intellectiuam. Anima tamen ex ſpirituali peculio ſpecierum acquiſito in hoc corpore non perit, ſed ſeparata viuit, non vitam rationalem, ſeù diſcurſiuã ex obiectis, ac ſpeciebus, & operationibus ſenſibilibus; ſed vitam intellectiuam ex inſenſibilibus ad obiecta inſenſibilia, quin & ſenſibilia, vt merè obiecta, non vt principia influentia cum potentia vitali. Anima ergo ſeparata viuit vitam intellectiuam, ac liberam non autem rationalem modo prædicto.

Confirmatur noſtra doctrina, quod ſcilicet homo poteſt ſua natura mori, & poteſt ſua natura non
10 mori. Habet duplicem vitam

nem-

nempè ſpiritualem, & materialem, vel ſenſitiuam. Hæc materialis eſt naturaliter illi ſubordinata, & ſerua. At habens dominium naturale non poteſt ſpoliari re ſubiecta, niſi aliquid contingat, quod naturaliter mereatur ſpolium ſerui ab eo, qui eſt omnium Dominus eminentiſſimus per ſe, vel per miniſtros ſuos. Homo ex ſua natura poteſt amittere ob bona ſenſibilia vitam ſpiritualem, quę eſt concordia cum diuina voluntate, vera vita creaturæ, cuius vitæ non eſt capax vllum viuens prorsùs materiale. Amiſſa ea vita ſpirituali, ſeu contracta morte ſpirituali ſequitur connaturaliter mors ſecūdùm partem ſenſitiuam, ac ſeruilem, & ineuitabiliter contrahitur debitum ſeparationis a bonis ſenſibilibus vitalibus, & reatus mortis æternæ, & pœnæ ſenſibilis ſine fine. Impoſſibile porrò eſt, vt in hac, quam ducimus, vita corruptibili tantùm patiatur, quantùm debet ex peccato pati homo, ergo de-

debet ſpoliari hac vita ſenſitiua, & iterùm reſtitui vnio incorruptibilis ad pœnam.

Mors ergo corporis eſt effectus mortis animæ, & cũ ſit pœna mortis liberę, debet eſſe aliquo modo violenta, ideſt contra inclinatio-
11 nem naturæ. Sic prędo, ſeu fur primò ſe a ciuilis vitę merito liberè ſeparat, liberè prædando, furandouè, tùm incurritur mors ciuilis, & ideò priuatur hac vita temporali ſenſibili, quam potuiſſet producere vlterius, donec morte naturali, (prout diſtinguitur a violenta illata a libera poteſtate ciuili) defungeretur. Sicut ergo non poteſt quis ſpoliari vita ciuili iure, iuſtèue phyſica, ac ſenſibili, niſi qui priùs meritus ſit; ita nec per ſe poteſt priuari hac vita corporali, niſi quis priùs ſit mortuus ſpiritualiter, & ſic contraxerit meritum, aut reatum mortis corporalis; ergo homo poteſt mori, & poteſt non mori ſua natura tàm ſpiritualiter, quàm corporaliter; habet obligationem natura-

lem

lem non moriēdi moraliter, & ſpiritualiter; ergo & abſtinendi a reatu mortis corporalis; ergo habet neceſſitatem moralem ex ſua natura viuendi ſemper, & nunquàm amittendi vitam corporalem, ſeu vitandi cauſam huius mortis, quæ eſt peccatum proprium, vel alienum factum proprium. Potentia moriendi moraliter, eſt prior potentia moriendi phyſicè. Valet enim logicè; poteſt mori moraliter; ergo etiam poteſt mori phyſicè, vt à cauſa ad effectum. At potentia moriendi phyſicè poteſt eſſe ſine potentia moriendi moraliter, vt contingit in brutis.

Obijcitur. Auctor naturę non poteſt inferre malum naturę productę ſeſe accommodanti reuerenter eius legi, ſeu placito eſſentialiter recto, vnde non poteſt mortem infligere homini vtenti bonis vitalibus, prout ipſe vult, & cum eiuſdem gloria. Hęc eſt doctrina tradita cap. 34. num. 1. Sed Chriſtus mortuus eſt peccandi incapax, &

Vir-

Virgo Mater immunis ab omni culpa etiam originali; ergo falſa eſt prædicta doctrina.

Reſpondetur me loco citato aſſerere, non poſſe Deum, quatenùs eſt auctor naturę, malum, mortemque inferre naturę productę vtenti bonis vitalibus iuxta placitũ eius, ſeu prout ipſe vult, & cum gloria eiuſdem. Chriſti Domini mors non fuit à Deo, vt auctore naturę, ſed vt auctore iuſtitię, gratięque grauiſſimè a primo Parente contemptę, etiam in totius poſteritatis damnum, ac mortem. Ecce egredimur naturę auctoris diœceſim, & aſcenditur ad ſtatũ eleuationis, ac ſupernaturalem, à quo in hoc opere meo pręſcindo. Deus, vt auctor ordinis ſupernaturalis, & Incarnationis Verbi Matrem eiuſdem Verbi ab originali labe præſeruatam voluit, at a pœnalitatibus, & morte præſeruatam noluit, quia mutato per peccatũ ordine rerum, ſine modo fuit melius Virgini Matri innocentiſſimę, ſed à Patre pri-

Digitized by Google

imo præuaricatore deſcendenti, illis ſubeſſe, & ſic expediuit ad maximam eius gloriam, vt patientiſſima glorioſiùs coronaretur. Decebat, Matrem Virginem pati, & per patientiam intrare in gloriam ſuam. Nequè, ſi ei data optio fuiſſet immunitatis a malis huius vitæ, ærumniſque, & morte, eam elegiſſet: noluiſſet hìc viuere ſine patientia ſe digna Mater Filij Dei, qui ſe maximis cruciatibus, mortique diriſſimæ ſubdidit in pœnam communis culpę, & omnium peccatorum ſatisfactionem. *Pœnalitates relictæ ſunt ad coronam patientiæ, vt ait* S. Thomas 1.p.q.164.art.1.ad 4. Mortua eſt Virgo, quia ſic decuit eſſe ſimilem Chriſto Domino, & quia mors propter Deum ſuſcepta magnum gratię augumentum promereri poteſt. Suarez tom.2.in 3.p. diſp.21.ſect.1.col.1.

Virgo, vt Chriſto ſimilis, mortua eſt. Sed, ſicut animę Chriſti innocentiſſimæ caro glorioſa illicò reddita eſt, ita innocentiſſimæ Virginis

ginis Matris animę illicò puriſſima caro reſtituta eſt, vndè vix mortua eſt, & parum pro nihilo reputatur. Deus, vt auctor naturæ innocentis, & ſic ei dilectiſſimæ, nullum eidem vult malum, nam vt talem amat: tamen Deus propter connexionem cum nocente, & inimico mortem, & ærumnas infert. Chriſtum Filium per Virginem ab Adamo deſcendentem morti tradidit in peccatorum redemptionem, ſed cum infinita patientis, ac morientis, & hominum gloria. Poſteri Adę, vel morbo occumbunt, vel violenter. Virgo innocentiſſima neutro mortis genere defuncta eſt, ſuauiſſimè Filio vocante exhalauit animam mox reuerſuram: qui noluit ſanctum ſuum videre corruptionem, noluit & ſanctam ſuam Matrem corruptionem videre: filia Adę mortua, ſed, quia Filia innocentiſſima, vix mortua eſt.

Hinc ſoluitur obiectio. Auctor naturę, vt talis, non intulit mortem innocenti; ſed vt auctor gratię, quã

Digitized by Google

primus Parens contempſit, vt ſupra
diximus.

Angeli quoquè ſunt ſua natura,
& mortales, & immortales. Sunt
12 mortales moraliter, ergo etiam,
phyſicè, eo genere mortis, quę po-
teſt cadere in ſubſtãtiam incorrup-
tibilem liberam, & ſimplicem.
Poteſt Angelus ſubijci pręceptis
grauibus obligantibus contra ſuam
naturalem inclinationem, & pro
ſua defectiua libertate ea frangere,
& peccare mortaliter; ergo con-
trahere reatum mortis phyſicę, at
hæc non poteſt eſſe, niſi amiſſio vi-
tę optimæ Angeli, ſcilicet tranquil-
læ vitalis cum Deo vnionis, cęcitas
in mente, obſtinatio in voluntate,
& alligatio eorum potentiæ moti-
uæ in loco omnium viliſſimo &c;
quæ iuſtè conſequuntur voluntariã
ſeparationem a Deo fonte vitæ de-
licioſo, quæ tamen vnit cum eodẽ,
vt iuſto æterno punitore. Nec po-
teſt Angelus ſemel amiſſam vitam
diuinam recuperare ex ſe; ergo re-
manet obiectum odij Dei punitiui
in

in æternùm. Carentia vitæ tranquillę cum Deo liberè volita per peccatum eſt mors phyſica Angelica, quam conſequuntur aliæ ęternæ pœnę.

Dico mortem phyſicam, ideſt veram, ac realem, non autem metaphoricam, aut imaginariam. Peccatum mortale ex ſua natura mortis meritum eſt, quæ pœna vera,& phyſica eſt numquam finem habitura, vndè ſicut peccantium Angelorum mors æterna ſuppliciū eſt, ita & lethali culpa infecto morienti homini, ex natura talis culpę alia mors, ſed æterna vera, ac phyſica infligenda eſt; quod & animę immortalitatem oſtendit, & ſocij corporis reſurrectionem; eiuſdem mortis reus eſt homo mortiferè contemnens Deum, ac Angelus; ergo homo, vltrà mortem corporalem, eſt reus mortis phyſicę cum Angelo communis, & ſic vterque eſt obnoxius duplici morti, ſcilicet morali,& phyſicę; ſed homo inſuper eſt reus huius mortis corpora-

lis: iterùm tamē anima vnietur corpori, vt corpus in æternùm ſentiat dolores dignos peccatis, in eo, & cum eo ab anima patratis.

Ex dictis ergò patet, quod homo potiùs dicendus eſt ſua natura immortalis, quàm mortalis, im-
13 mortalis ſimpliciter, mortalis ſecundùm quid, multò magis, quàm dicatur Aethiops ſimpliciter niger, albus ſecundùm quid: Ratio eſt, quia inter dentes Aethiopis, & reliquum corpus eſt aliqua proportio, cum ſit partis finitę ad finitam. At inter tempus, & ſtatum mortui hominis, ac ſtatum poſt hominis reſurrectionem, qui eſt æternus, nulla eſt proportio; ergo manifeſtum eſt, rectiſſimè dici, hominem eſſe ſecundùm quid mortalem, ſed ſimpliciter immortalem, immò & abſolutè, cum tempus, eſto maximè diuturnum, vitæ in corpore mortali fermè nihil ſit prę æternitate: & mathematicè verùm eſt: finiti ad infinitum nulla proportio eſt.

Confirmatur ex doctrina S. Thomę

mę in cap. 15. ep. 1. ad Corinth. l. 2. pag. 85. aſſerentis: *Separari à corpore eſſe contra naturam animæ, & & per accidens, at vniri ei eſſe naturale.* Sed impoſſibile eſt, vt id, quod naturale eſt, & per ſe, ſit finitum, & quaſi nihil, & illud, quod eſt cõtra naturam, & per accidens, ſit infinitum; ergo animam non vniri iterũ corpori eſt iuxtà S. Thomam naturaliter impoſſibile, & proindè cum eodem debet ſemper naturaliter ſociari; idem notaui, cap. 2. de Auctoritate &c. num. 1.

Idem habetur ex Nicolao de Lyra in Gloſſ. ordin. in ea verba Pauli 1. ad Corinth. cap. 15. *Oportet corruptibile hoc induere,*&c; vbi oſtendit neceſſitatem reſurrectionis, quę accipitur ex tribus, primò ex perfectione humanæ naturæ, quæ eſt imperfecta, niſi anima ſit corpori vnita, propter quod ſeparari animę eſt per accidens, & contra eius naturalem inclinationem, nullum tale autem poteſt eſſe perpetuum: ſe-

cundò ex impletione diuinæ iuſtitiæ, ſcilicet, vt corpus ſimùl puniatur cum anima, & præmietur, ſicut anima peccauit in corpore,& cum eo meruit, &c. ita apud Lyranum, cui adde B. Dionyſium Carthuſianum in 2.cap. Gen. pag.51. col.2. dicentem, *hominem factum eſſe aliquo modo mortalem, & aliquo modo immortalem*, &c.

Infertur ex his, quod, ſi non fieret reſurrectio, eſſet miraculum
14 perpetuum,nam rem aliquam perpetuò ſpoliari rebus ſibi naturaliter debitis, ita eſſet miraculum, vt eſſet ſpoliare Solem luce, & virtute illuminatiua; ergo reſurrectio eſt futura ex natura rei quamquàm in hoc ordine rerum inſtituto à Deo reſurrectio, prout fiet, inuoluat ſtatum eleuationis. Sed nos in hoc opuſculo loquimur de homine ſecundùm ſe conſiderato, & præſcindimus a ſtatu ſupernaturali, vndè cum de virtutibus, ac vitijs, cum de meritis, atque demeritis hìc loquimur, de ſupernaturalibus

non

non loquimur, ex quorum tamen poſſibilitate, quæ vtiquè naturalis eſt, habemus argumenta naturalia, ad finem nobis præſcriptum in hoc opere elucubrando. Illa enim forma exiſtens, viuens, immortalis eſt reddenda corpori, quæ eſt ſua natura capax eleuationis ad actus ſupernaturales, quibus mereatur ſuo corpori immortalitatem glorioſam, de quo dixi alibi.

Mors non eſſet pœna, ſi homo non eſſet ſua natura factus ad immortalitatem.

CAP. XXXV.

SI corpus non ſpectaret naturaliter ad animam ſeparatam, mors nec eſſet pœna, nec poſſet eſſe pœna: ſed hoc eſt euidenter falſum; ergo ſpectat ad animam ſeparatam. Probatur ſequela maio-
1 ris: mors, ſeu carentia totius vitæ ſenſibilis, & ſenſibilium deſtructio

Digitized by Google

potentiarum non eſt pœna, quando non eſt, ſed quando eſt, ſed tunc eſt, quando anima non eſt vnita corpori; ergo tunc eſt, quando eſt ſeparata a corpore; nec eſt pœna inſtantanea, ſed ex natura ſua eſt pœna, quandiù durat, at durat, donec iterùm vniatur; ergo ſemper per ſe eſt pœna: nec enim illa carentia vitæ, & ſenſitiuarum iactura potentiarum eſt diuerſa a ſemet, ſed eſt ipſiſſima in primo inſtanti, in ſecundo, & tertio, & ſic impoſterùm ſic qui punitur pœna exilij, vel bonorum ſpolio, tamdiù habet pœnam, quandiù non reſtituitur patriæ, & bona non redduntur: ſic dicuntur aliæ pœnæ eſſe temporariæ, aliæ perpetuæ; quia illæ ceſſant poſt definitum tempus, v. g. poſt annum, hæ autem nunquàm remittuntur ex ſua naturali conditione, vt damnatio ad triremes perpetua, exilium perpetuum; & cum primis mors in Republica humana eſt pœna perpetua irreparabilis; ergo carentia-

ren-

rentia vnionis cum corpore ſuo eſt pœna animæ, quandiù non reunitur.

At pœna ex ſua natura eſt certiſ-
ſimè contra inclinationem natura-
2 lem, & moleſta, & materia abominationis, vt per ſe, & experientia liquet; ergo ſeparatam viuere animam a corpore per ſe pœna eſt; ergo reddere animæ corpus eſt iuxta naturalem animæ appetitum ei ab auctore naturæ impreſſum, & amatum. Si ergo anima ſeparata nec elicitum, nec innatum appetitum haberet vnionis cum corpore, nec mors pœna eſſet in foro humano, nec in foro diuino; ſicut non eſt pœna carere potu illi, qui nunquā habet ſitim; ergo mors, quatenùs pœna, probat reſurrectionem corporis eſſe iuxta naturam, per ſe loquendo, & non ſupernaturalem.

Verumtamèn animæ beatæ non habent ex dilatione moleſtiam, quia beatæ ſunt, & ſunt certiſſimæ de glorioſa reſurrectione, quam ob
3 iuſtas cauſas differt Deus; & quia

illis inſtar momenti eſt hæc temporalis carentia præ æternitate: animæ autem damnatæ, vt tales, abhorrent ab vnione, quia erit pœnæ additamentum; ſed hoc eſt per accidens; & quia naturam factam ad beatitudinem ſcienter peccantes voluerunt perpetuò tormentis obnoxiam. Debuerunt abſtinere a culpis, & ſic viuere in corpore, vt corporis redditio eſſet iucunda iuxta innatum animæ appetitum, non contra eius horrorem ad pœnam. Sicut ergo euidens eſt, mortem eſſe pœnam, ita eſt euidens, corporis, animæquè ſeparationem eſſe contra animæ naturam, & naturalem eſſe reſurrectionem, & hominem eſſe ſua natura potiùs immortale, quàm mortale animal: & mors careret hac naturali proprietate, eiquè eſſentiali; ergo mors eſſet chimera. Cum autem ad mortis pœnam ſit damnatum vniuerſũ
4 genus humanum, eſt certum benè conſideranti ſignum alicuius communis culpæ, ob quam diſpliceant
om-

omnes homines Deo, & cui mortis pœnam inferat ſine vllius exceptione. Porrò pœna mortis non poſſunt bruta affici, tùm quia ſunt incapacia culpæ, quam ex ſua natura ſupponit pœna, tum quia eam non poſſunt experiri, quia mors nō poteſt eſſe pœna materiæ primæ remanenti, & accidentibus, non formæ, quia non ſeparatur, ſed perit, & ſic fit incapax experiendi vllam moleſtiam; ergo non poteſt eſſe pœna brutis, vndè alibi probauimus, nec poſſe cognoſci; ſi enim cognoſceretur, timeretur, & ſi timerent, etiam experirentur; non enim poteſt natura timere malum, quod non poteſt vitaliter ſentire. At forma bruti ipſa morte perit, & nunquàm eſt coniungibilis exiſtentia formæ brutalis, cum exiſtentia mortis, ſeu cum priuatione exiſtentiæ ſuæ met; quia eſſet ponere ſimul duo contradictoria; ergo bruta habent aliud genus mortis à morte hominum diuerſiſſimum.

De

De cauſa corporalis hominum mortis.

CAP. XXXVI.

QVæritur, quænam ſit cauſa huius noſtræ mortis corporalis, & aliorum defectuum, ac malorum, quibus hnmana natura vexatur in hac, quam agimus, vita?

Reſpondet S. Thomas ſæpiùs, vt patet ex tab. aur. ver. mors, num. 2.
1 duplicem eſſe cauſam mortis: *Altera eſt remota*, ſcilicet, *contrarietas principiorum*, *altera eſt proxima*; *& hæc eſt peccatum*. Et 2. 2. qu. 164. art. 1. ad 1. ait, mortem non eſſe naturalem homini ex parte ſuę formæ, hoc eſt animæ rationalis (quæ de ſe eſt immortalis) eſſe autem naturalem ex parte corporis, quod eſt cōtrarijs compoſitum, ad quod ſequitur ex neceſſitate corruptibilitas, & quantùm ad hoc mors eſt homini naturalis.

Hæc Doctoris Angelici doctrina

na vera eſt, ſed adhùc non attingitur vltima; & prima radix, ac ratio, ſiquidem adhùc videndum, vel inquirendum, cur tale corpus corruptibile debeat naturaliter eſſe tale, cum ſit corpus formæ ſenſitiuæ, & rationalis ex ſua natura, & immortalis phyſicè?

Idem Angelicus docet, beneficio Dei ablatam ab homine neceſſitatem moriendi conſequentem ex tali materia, ſed idem beneficiũ fuiſſe ſubtractum per peccatum primorum Parentum, & ſic mortem eſſe naturalem propter conditionẽ materiæ, & eſſe pœnalem propter amiſſionem diuini beneficij. Et in reſponſione ad 4., ait, defectus, qui conſequuntur eius beneficij ſubtractionem, eſſe mortem, & alias pœnalitates huius vitæ præſentis.

Ex his habes, quod cauſa veluti motiua ad ſubtrahendum illud beneficium (ſcilicet immunitatem a neceſſitate moriendi) eſt peccatũ per ſe meritorium talis iacturæ, & conſequentium malorum, ſcilicet mor-

mortis, & pœnalitatum huiùs vitæ. Collatio beneficij erat intuitu obedientiæ, & innocentiæ ſeruatæ, ſubtractio autem illius, & neceſſitas proindè moriendi eſt ob liberam iacturam innocentiæ, & inobedientiam; ergo radix, & motiuum immunitatis dictæ eſt libertas ſeruans innocentiam obediendo, & radix mortis eſt libertas potens ex ſua natiua defectiuitate per inobediētiam amittere innocentiam, quod preſſiùs dicitur libertas peccatrix. Pœnalitates ergo, & mors reducuntur ad liberum arbitrium, a quo peccante poteſt ſolùm eſſe meritum pœnæ, & pœnalitatum; ergo anima, non vt phyſicè immortalis, ſed vt habens potentiam phyſicè liberam, moraliter obligabilem, & obligatam, & ſic moraliter corruptibilem per peccatum, eſt id, in quod tandem oportet venire, vt ſciatur cauſa mortalitatis, mortis, ac pœnalitatum; quod eſt iuxta Sancti Doctoris mentem.

Idem S. Doctor ibi in fine docet,

Deum

Digitized by Google

Deum nos reliquiſſe ſubditos pœnalitatibus, vt à peccatis auertatur homo, vt de virtutibus non ſuperbiat, & vt per patientiam coronetur.

3 Ex quibus habes, pœnalitates relictas eſſe intuitu defectiuæ innatæ libertatis, vt ſcilicet ſint in remedium peccatorum, quæ ſunt merita mortis æternæ, in antidotum cõtra ſuperbiam, quæ eſt radix mali tùm phyſici, tùm moralis, & vt acquiratur præclara per patientiam corona; ergo mors, & pœnalitates ſunt partus liberi arbitrij peccantis, ſed intenti à ſapientiſſima Dei ordinatione ad optimum ſtatũ creaturæ liberæ, ad quem diſponitur fuga culpæ, humilitate, & patientia, quæ tã in ſtatu eleuationis ad gratiam, quàm in ſtatu puræ naturæ, (ſi fuiſſet in ea homo conditus) ſunt præſtantiſſima diſpoſitio ad vltimũ finem; ergo in omnibus habetur ratio, & libertatis defectiuæ, & vltimi eius finis.

Confirmatur, & probatur; quia, cum ex Sancto Doctore cauſa mortis

tis proxima ſit peccatum, euidentiſſimè ſequitur, cauſam mortis remotam eſſe potentiam peccandi, ſeu libertatem phyſicam moraliter
4 defectiuam, & ſic moraliter corruptibilem: & ratio perſpicua eſt, quia vbi actus eſt cauſa proxima, potentia ad eum actum eſt cauſa remota.

Nequè obſtat, quod S. Doctor dicat cauſam remotam eſſe contrarietatem principiorum; nam corpus eſt ex contrarijs compoſitum, quia id exigit naturalis conditio animæ, quæ in ſe primò habet contrarietatem principiorum, nempè inclinationem ad bonum rationis, & æternum, atque inclinationem
5 ad bona ſenſibilia, & momentanea; quæ inclinationes ſunt a natura intentæ ob ea maxima bona, quæ cõſequuntur pugnantes, & vincentes ſecundùm rationem, quæ victoria eſt maximè glorioſa, & illatiua vltimi finis per modum mercedis, & coronæ.

Dicitur etiã cauſa remota mortis

tis

tis corpus organizatum ex contrarijs, ad quod ſequitur, vt ait S. Doctor, ex neceſſitate corruptibilitas,
6 ſeu poſſe corrumpi per mortem, quia inter hoc corpus compoſitum ex contrarijs, ac mortem intermedia eſt culpa, quæ eſt mors moralis, ſeù actus potentiæ moraliter defectiuæ, & corruptio animę, qua diſponitur ad peſſimum, & cui hoc titulo debetur corpus corruptibile: Iuſtè enim peccanti, ſeù morienti moraliter per inordinatũ amorem bonorum corporaliũ debetur mors ſecundùm corpus, & vitæ priuatio, quę hauritur ex ſenſibilibus per potentias vitales ſentientes, & iuſtè ab ijs ſeparatur, quibus inordinatè adhæſit, ſeparando ſe à vita rationis, ſeù a regula immutabili honeſtatis. Cum ergo mors corporis neceſſariò ſit poſſibilis, vt pœna, cum & de facto in omnibus habeat rationem pœnalitatis, & pœnarum, neceſſariò ipſa corruptibilitas corporis, ac mortalitas reducitur, vt ad primam radicem, ad phyſicam

li-

Digitized by Google

libertatem, moraliter defectiuam animæ, ſeu ad animam, cui eſt naturale poſſe corrumpi moraliter. Potentia amandi inordinatè bona sēſibilia eſt ratio cur debeatur corpus corruptibile, & mortale, ſicut etiam potentia patiendi ordinatè, & honeſtè mala ſenſibilia, & cum gloria auctoris omnium bonorū, eſt ratio, ob quam debetur mortali corpori immortalitas: pati hanc mortem honeſtiſſimè eſt meritum eximium Immortalitatis, & vitæ æternæ etiam ſecundum potentias ſenſitiuas. Et inſuper.

Probatur 1. a naturali, & eſſentiali proprietate animæ rationalis: dicitur enim rationalis, quia eſt ſua natura ex ſenſibilibus diſcurſiua ad inſenſibilia, & intelligibilia, vt ex bonitate ſenſibili afficiatur cul-
7 tu, & amore ad bona rationis propria, & ad fontem purum omnium bonorum, & vt per corpus inſtrumentum ſenſationum, & eius bona, & mala proficiat ad vltimum finem honeſto vſu bonorum, & honeſta

to-

tolerantia malorum,quę oppugnãt, & corrũpunt bona vitæ huius mortalis,ac veluti momentaneæ. Actiones honeſtæ ſunt proprijſſimæ viuẽtis liberi facti ad beatitudinem, à qua poteſt, & debet repelli, (niſi auctor naturæ, morumque ex ſua mera benignitate tollat huiuſmodi impedimenta) ob actiones inhoneſtas, potuiſſet autem ea tollere in ſtatu puræ naturæ, vt eius Dominus, vt in ordine ſupernaturali, quem de facto inſtituit, diuinæ gratiæ remedia dedit; Ergo mortis humanæ, & malorum pœnalium cauſa remota, & originaria eſt defectiua libertas, quæ eſt non corporis, ſed animæ potentia vitalis, ac naturalis, obnoxia morti, & & corruptioni morali.

Probatur 2. eadem veritas ex ipſamet materia,quę eſt pars ſubſtantialis hominis. Nam materia eſt propter formã, hæc enim eſt finis, & materiæ, & omnium diſpoſitio-
8 num, quæ recipiuntur in materia, quæ per ſe dicitur eſſe, nec quid, nec quale, nec quantum, ſed id, de

quo

Digitized by Google

quo &c. Quidquid recipit, ad formam recipit, & vt ſit ſubiectum proportionatum formæ, eiuſque operationibus; ergo qualitates materiales contrariæ, & corruptibiles, & corruptiuæ sūt tales propter formā, erga ea corporis humani corruptibilitas eſt talis, quia eam exigit forma humana: at ea non exigit corruptibile corpus, quatenùs eſt phyſicè immortalis, ſed quatenùs eſt moraliter mortalis, & corruptibilis: mors autem, & corruptio moralis eſt longè deterior ipſa corporis morte; ergo corporis mors, & mortalitas reducūtur, vt ad cauſam, ad animam immortalem phyſicè, at moraliter defectiuam; corpus eſt propter animam, & corruptibilitas corporis eſt ob corruptibilitatem propriam animæ phyſicè incorruptibilis.

Probatur 3. a formis aliorum animalium: nam cum ſint ſua natura, & abſolutè corruptibiles, de-
9 betur corpus corruptibile abſolutè; Ergo formæ per ſe, & phyſicè incorruptibili, ſed tantùm per accidens

Digitized by Google

dens corruptibili ob liberam potentiam defectiuam, debetur corpus non per ſe quomodocumque corruptibile, ſed tantùm per accidens, & quod ex cauſa corrumpatur modico tempore morte breuiſſima, at in æternùm viuat per ſe cũ anima incorruptibile, ſiquidem in æternitate erit hominis ſtatus immutabilis: eritque animæ libertas ſiue iuſtæ, ſiue iniuſtæ libertas ſtabilis cum merito vel vitæ æternæ, vel mortis, ſeu damnationis perpetuæ; Ergo corporis corruptibilitas reducitur ad animæ naturalem defectiuitatẽ, cui cum poſſe corrumpi, & debere non corrumpi ſit eſſentialis proprietas, corrumpi autẽ ſit per accidens, ſcilicet peccando contra obligationem non peccandi, per accidens eſt, quod corpus corrumpatur, nam accidens eſt, quod anima peccet, per ſe autem eſt, quod in æternùm debeat eſſe, & ſit cum corpore, vt & de facto erit, ſiue iuſta ſeparetur à corpore, ſiue iniuſta.

Probatur 4. quia anima eſt actus

cor-

corporis organici, & corpus ita eſt compoſitum propter animam. Organum ex ſua eſſentia non eſt gratia ſui, cum ſit merum inſtrumentum; ergo debet natura ſapiens illud tale efficere, quale conuenit animæ, eique aptari ſecundùm naturale eius meritum, ſeù phyſicam exigentiam; ſic eſſet non ſapientis, ſed ridiculi artificis aptare caput pileo, pedes crepidis, non autem capiti pileum, crepidas pedibus; ergo organum hoc habet corruptibilitatem in ordine ad animã, & quia tale competit animæ, ſed non poteſt ei competere ratione immortalitatis, & incorruptionis naturalis eius, quoad eſſentiam, & exiſtentiam; ergo competit ei ratione alterius phyſicæ corruptibilitatis, ac moralis, ſeù quatenùs habet ex ſua natura libertatem phyſicam, & moraliter obligatam, vt diximus, & ſub hac ratione corruptibilem, & obnoxiam morti morali, cuius proprietas eſt, eſſe meritoriam alicuius mortis phyſicæ, quod de facto contingit, nam ani-

mæ

Digitized by Google

mæ morte morali affectæ mors corporis contingit, et reatus alterius mortis, quæ eſt de facto æterna damnatio.

Probatur 5. a fine. Anima eſt ſua natura facta ad vltimum aliquem finem, in quo collocata ſit tranquilla, nec ad aliud bonum moueatur, aut trahatur: nam finis vltimus eſt
11 centrum, res autem in centro non mouetur, & implicat moueri tunc, aliòqui eſſet, & non eſſet centrum, ſed eſſet illud aliud, ad quod mouetur. Sed vltimus finis non ſolùm eſt donabilis a Deo, ſed etiam eſt comparabilis, tamquàm merces, & corona, ſeù glorioſis operibus, quomodo eſt prẹſtantior eius poſſeſſio, eſt enim iucundius ex merito habere, quam ex mero dono, nam qui recipit, vt donum, aliquam ſubiectionem, vel obligationem ſubit, quam non habet, qui recipit, vt mercedem laboris, vt pugnæ ſtipẽdium, coronamque victoriæ. At qui liberè pugnat, liberèque laborat, poteſt & liberè abſtinere a pugna,

gna, & labore, & non conſequi vltimum finem, & ab eo excludi ex demerito, & quidem in perpetuùm.

Debuit ergò anima ex natura vltimi finis ita conſtitui, vt haberet
12 locum, & tempus laborandi, ac pugnandi, ſeque ità diſponendi ad eum, vt mercedem, & coronam; ergo cum ſit forma naturalis corporis organici, debuit in eo militare, & pugnare, ac laborare, quod & facit; ergo debuit in eo habere aliquod contrarium, contra quod pugnet: hoc autem eſt appetitus inferior, ac ſenſitiuus, qui animæ, ſeù eius libertati non eſt deſpoticè ſubditus, ſed tantùm politicè, aptuſq; inclinare liberam potentiam ad bona rectæ rationi contraria. De facto propter abuſum appetitus ſenſitiui, bonorumque ſenſibilium contrà præſcriptum rectæ rationis orta eſt vtraquè mors animæ, ſcilicet, & corporis, & contractum eſt debitum mortis vtrique æternæ per modũ pœnæ, quæ eſſentialiter exigit,

git vtramque partem viuentem, ſed vita infelici, & mortuam genere mortis naturaliter in æternùm irreparabilis.

Si fuiſſet ſeruatum præceptum abſtinendi à ſenſibili bono, vita
13 quoque fuiſſet ſeruata in æternùm, & potentia moriendi tranſiuiſſet in impotentiam moriendi, & neceſſitatem viuēdi, vt Deus Adamo promiſit. Qui, dato, quod poſtea mortaliter peccaret, non tamen mortem incurreret corporis, ſed ex ſola Dei ordinatione, ac priuilegio (ſuppono non fuiſſe in gratia confirmandum) nam alioqui naturaliter debetur ſpolium boni collati illo abutenti, & in contemptum collatoris; ergo debet ſpoliari vita ſenſibili iucunda aliquandò, tum neceſſe eſt, reddatur corpus, vt vita in eodem moleſta luat pœnas corporis, & ſenſibilium bonorum abuſu promeritas.

Confirmatur 1. quia hoc corpus humanum ità conſtitutum fuit eſſentialiter poſſibile, & amabile

Digitized by Google

14 non propter ſe, quia vt tale, eſt materia inſtructa accidentibus materialibus, & ſi placet, formis partialibus ſubſtantialibus, pariter materialibus, quæ ſunt ſua natura formæ principali ſeruiles; ergo corpus humanum eſt tantùm amabile in ordine ad animam, & eius vltimum finem impetrabilem recto, honeſtouè vſu libertatis. Et anima ſecundùm omnes vires ſuas debet operari ad vltimum finem, vires autem, ac potentiæ animæ aliæ ſunt inorganicæ, aliæ organicæ, ac materiales; ergo & his debet vti ad vltimum finem ſua libertate; ergo corpus tale eſt propter vltimum animæ finem; ergo, & eiuſdem proprietates (vt eſt corruptibilitas ſecundùm quid, & corruptio veluti momentanea) ſunt tales propter animæ libertatem defectiuam, vt etiam æterna eius incorruptio, per quam æterna vnione, & incorruptibiliter animæ in ſuo vltimo termino reſtituetur, & immutabiliter ſociabitur.

Con-

Digitized by Google

Confirmatur 2. Bona, & mala ſenſibilia ſunt ex ſua natura facta, vt inducant animam rationalem ad cognitionem, cultum, amoremque Primæ cauſæ communis; ergo debuit ei ex naturali exigentia rerum ſenſibilium dari organum ſenſitiuum, in quo, & per quod ſen-
15 ſibilia exercerent ſuam virtutem eſſentialiter ordinatam ad gloriam primæ omnium cauſæ, cooperando enti rationali libero, quod non faciunt cum Angelo, quippè qui, vt nullam habet a materia dependentiam ſubſtantialem, ità non indiget ad ſuum finem cooperatione vitali rerum ſenſibilium; ergo per hominis corpus organicum tantummodò id faciunt.

Et quia corpora hæc ſenſibilia habent, vel agunt per qualitates contrarias, vt ſuprà diximus, in corpus humanum in hoc ſtatu, in quo anima laborat ad vltimum finem, debuit naturaliter eſſe ſuſceptiuum contrariorum, & illud ſub-
46 ijcientium alicui corruptioni, &

moleſtijs, quas anima hìc vnita corpori ſentit, quarum honeſta tolerantia acquirat cum merito vltimum finem: vndè contrariæ, & pugnantes corporum qualitates, & in corpore humano operantes ſeruiunt ſua pugna æternæ paci, quæ in vltimo fine poſſidetur, & a qua debent excludi, qui in pugna a recta ratione, liberèque defecerunt præferentes momentanei boni fruitionem vltimi finis immutabili trãquillitati; Ergo a fine ſenſibilium bonorum, ac malorum conſtat de radice huius mortis corporalis.

Dnlce ſenſibile, v.g. mellis, indicat ex ſua natura dulcedinem ſuæ cauſæ adæquatæ puram manducanti, a qua eſt omnis dulcedo; ergo exigit in aliquo corpore formam diſcurrentem ab ea materiali impura dulcedine; & deficiente ad primam, puram, & immutabilèm, quæ poteſt in æternum ſentientem,
17 & intelligentem formam etiam ſenſibili iucunditate afficere, vt eam amet, & amando conſequatur tran-

tranquillum, id eſt ſine timore iacturæ ſecundùm vtramque partem homo, & vt caueat a dulci prohibito, ne amittat æternùm purum, delectans, & ſubijciatur æternę amaritudini ſecundùm vtramque, partem, ſiquidem moleſtæ ſenſationes ſunt certiſſimi indices Dei potentis æternùm cruciare etiam, vitales potentias ſenſitiuas, quas ſic deterret a malo: in nullum enim, ſubiectum poteſt ſecundùm naturalem iuſtitiam Deus exercere potentiam puniendi ſenſibiliter ſine fine, niſi in viuens liberum, & ſenſitiuum potens mereri tantam pœnam contemnendo eum prohibitarum vſu delectationum ſenſibilium.

Ex hoc vides, quod corpus humanum debet ſua natura eſſe corruptibile ſecundùm quid, & incorruptibile ſimpliciter, & hoc probari a iuſtitia punitiua Dei, quia debet anima poſſe plecti in eo, in quo, & per quod contempſit Deum: eſt de
18 eſſentia humanę defectiuę, & fra-

gilis libertatis poſſe grauiter offen-
dere Deum abuſu ſenſibilium bo-
norum ; ergo eſt de eſſentia Dei
poſſe eam pœna ſenſibili graui
in ſuo foro punire, at graue nihil
eſt coram Deo, niſi habeat notã
infinitatis aliquam; ergo morta-
liter Deum per ſenſibilia offendens
meretur pœnam ſine fine ſenſibi-
lem ; ergo corruptio, & incorru-
ptio corporis humani refũditur in
animam phyſicè liberam,moraliter
obligatam, & defectiuam.

Probatur 6. argumento ſumpto
a natura Angelica. Angeli ſunt
ſua natura corruptiles in genere
moris, ſeu mortales moraliter ſiuè
in ſtatu naturæ puræ, ſi in eo creati
19 fuiſſent, ſiue in ſtatu gratię, in quo
de facto conditi ſunt. Nulla eſt
creata libertas extrà ſtatum felici-
tatis, vel vltimi termini, quę non
poſſit peccare ; Ergo debent ſua
natura eſſe capaces alicuius mortis
realis per modum pœnę. At pœna
eſt genus vitæ moleſtum, & pœna
illi, in quo, & a quo fuit meritum

mor-

Digitized by Google

mortis pœnalis, quod eſt peccatum mortale: mortis autem eſt proprietas, vt ſimul inflicta ſit malum irreparabile ab eo, qui lethiferè peccando, eam promeruit; Ergo Angelis culpa mortali coram Deo infectis debetur mors, vt pœna, & quidem æterna: at mors, vt pœna, eſt ſeparatio ab aliquo obiecto, principioq; vitali realis, vndè mors Angelorũ neceſſariò eſt malum phyſicum, ſeu ſeparatio vera, & realis ab obiecto, & principio vitæ felicis, cui vniri tranquilla contemplatione eſt vita æterna, & a qua ex peccato, excludi eſt mors æterna.

